



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Lourenço, Agostinho

Leodii, 1694

Disputatio VII. De Incomprehensibilitate Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80131)

est ejusdem rationis, atque adeo intra totam suam sphaeram, sive intensiois, sive extensionis, habet se indifferenter ad has, vel illas rationes objectivas intellectui aequaliter propositas; sicut se habent potentia naturales circa hæc, aut illa sua objecta materialia proposita, & cognoscenda; ergo determinatio visionis ab illo nequit effectivè provenire.

149. Probatur secundò, quia lumen gloriæ, cum sit habitus supernaturalis, habet se ad instar habitus fidei, alteriusvè habitus supernaturalis; sed habitus fidei de se non magis determinat ad hæc objecta revelata, quam ad alia credenda; ergo etiam lumen gloriæ intra suam sphaeram non magis determinabit ad hæc, quam illa objecta videnda. Confirmatur, quia lux corporalis de se indifferens est ad hæc, aut illa objecta præsentia manifestanda oculo; ergo sic erit lumen gloriæ; consequenterque ab illo non provenit effectivè huiusmodi determinatio. Ita *P. Gil. cit. tract. 10. cap. 8. num. 9. P. Albertin. quest. 3. Theolog. ex 1. princip. Philos. num. 7.*

150. Conclusio 4. Huiusmodi determinatio visionis non provenit à voluntate Beati nec physicè, nec moraliter. Est contra tertiam sententiam. Probatur prima pars quoad concursum physicum, quia hunc maxime præstaret voluntas applicando intellectum lumine illustratum ad cognitionem harum potius, quam illarum perfectionum Dei, & creaturarum; sed non potest hanc applicationem efficere; siquidem intellectus prout sic illustratus necessariò movetur ab Essentia divina, & prævenit omnem liberum actum voluntatis; ergo &c.

151. Probatur secunda pars quoad concursum morale, quia idèd huiusmodi concursus moralis censeretur à voluntate Beati impendi, quatenus Deus conferre solet visionem sui, & creaturarum juxta appetitum rationabilem ipsius Beati; sed hæc ratio, licet sit vera quoad visionem creaturarum, quæ spectant ad statum Beati, absolute tamen universalis non est; siquidem plura manifestantur Beatis extra, vel supra eorum appetitum rationabilem, quæ proinde determinari nequeunt ab eo appetitu, seu voluntate etiam moraliter concurrente, ut patet; ergo &c.

152. Conclusio 5. Determinatio Visionis Beatæ ad cognoscendas has potius, quam illas perfectiones divinas, & creaturas in eis contentas intra certum numerum, quem intellectus ratione luminis gloriæ videre potest, provenit effectivè ab ipso Deo concurrente ex parte potentia cum intellectu Beati, & lumine gloriæ. Ita tenent cum quarta sententia *Argentim. in 4. dist. 49. q. 2. art. 4. §. Et ex hoc. Pefant. 1. p. q. 12. art. 10. d. 2. §. Dices. P. Gil. tom. 2. tr. 10. cap. 10. à n. 4. & alii.*

153. Probatur, quia quoties in causa secunda dantur omnia requisita in actu primo, ut exeat in actum secundum, & aliquam operationem eliciat, & ipsa nihilominus ita est indifferens, ut neque ex se ipsa, neque ex alia causa secunda simul concurrente, ad hunc potius effectum, quam ad alium determinari possit, ad Causam Primam universalem spectat illam determinare, ut pluribus exemplis in Philosophia probari solet, & nos jam suo loco probavimus, cum de determinatione causarum secundarum quoad individuum egimus in Physica; sed in Visione Beata, sive intellectu Beati dantur omnia requisita, ut exeat in actum secundum, neque assignatur causa aliqua secunda, quæ ipsam potentiam determinet ad eliciendam visionem huius potius perfectionis, & creaturæ in ea

relucens, quam alterius, ut patet ex dictis; ergo ad Primam Causam universalem ex parte potentia concurrentem spectat, quæ libera est, huiusmodi causas prædicto modo suspensas determinare.

Neque obstat, quod per quamlibet Visionem Beatam videantur omnia, quæ sunt in Deo, saltem confusè; siquidem quæstio procedit de visione perfectionum distincta, quæ certum est non videri omnes Dei perfectiones, saltem secundarias; alioqui viderentur omnes actus Dei liberi, & omnes creaturæ etiam possibiles, sequereturque, quamlibet Visionem esse Dei comprehensivam, ut ex supra dictis liquet. Explicatâ jam inæqualitate inter Visiones Beatas ex parte causæ effectivæ, & ipsarum causæ effectivæ: Pro coronide:

154. Quæres hic: Undenam proveniat prædicta inæqualitas formaliter, & quæ sit causa formalis, cur Visio beata has potius Dei perfectiones, aut creaturas in eis contentas, quam alias Beato manifestet? Respondeo breviter, inæqualitatem Visionis Beatæ formaliter provenire ab inæquali intentione, & extensione, aut ex diversa entitate individuali divisibili, aut indivisibili ipsius Visionis juxta diversas Theologorum sententias infra sequenti disputatione explicandas: Determinationem autem formalem ad has potius creaturas, quam illas representandas semper provenire ab entitate, seu modo individuali ipsius visionis, qui de lege saltem ordinaria variatur pro diversitate intentionis in visione ipsa. Hæc resolutio vera est, cujus probatio facile desumitur ex iis, quæ accidunt in cognitionibus naturalibus circa sua objecta in rebus creatis.

DISPUTATIO VII. De Incomprehensibilitate Dei.

SECTIO I.

Utrum Deus comprehendi possit ab intellectu creato, saltem de potentia Dei absoluta?



1. PRIMÂ disputatione huius Tractatus satis ostendimus, Deum de potentia etiam absoluta, invisibilem esse intellectui creato secundum vires naturales spectato, licet ab eodem ut supernaturali lumine, vel auxilio elevato possit intuitivè videri. In præsentia investigandum nobis est, utrum ab aliquo intellectu creato, aut creabili ita videri possit, ut omninò comprehendatur; quod plures continet, easque gravissimas difficultates, quarum aliquas jam exposuimus in Logica tract. 6. d. 4. sect. 7. per totam, quas etiam hic, quia in hac Materia sunt præcipuæ, licet breviter repetemus. Primò igitur statuenda est Divinæ Incomprehensibilitatis certitudo. Secundò explicanda est ejusdem fundamentalis ratio. Tertiò examinanda sunt conditiones cognitionis comprehensivæ Dei. Ultimò inquir-

inquirendum est: Utrum aliqua intellectus cognitio, saltem à Deo condi possit, quæ annexam habeat Dei comprehensionem?

2. Advertes primò, *Comprehensionem* ex prima nominis impositione significare apprehensionem, si-ve tentationem corporis alieni, ut constat ex communi usu veterum apud omnes Autores, cerniturque in Scriptura Psalm. 9. ibi: *Comprehensus est pes eorum*. Et Eccles. 9. *Aves laqueis comprehenduntur*. Et sæpè alibi.
3. Advertes secundò ex hac significatione ductam fuisse metaphoram ad significandos actus animi, quibus res veluti apprehendimus, & ad nostrahimus, & tenemus, quales sunt actus præsertim intellectus, licet etiam aliquando accommodari soleat actibus voluntatis.
4. Advertes tertio, comprehensionem illam corporalem duobus præsertim modis accipi: Primò, prout opponitur infecutioni, & est assecutio, ac comprehensio rei quasi fugientis, & quam antea insequeremur juxta illud Psalm. 70. *Persequimini, & comprehendite eum*: cujus acceptionis meminit D. Thom. 1. part. quest. 12. art. 7. ad 1. Secundò, prout idem est, atque totum aliquod ita continere, seu in se concludere, ut nihil illius maneat extra, qua ratione *locus* continet rem locatam, & Cælum superius comprehendit in se sibi subjectum.
5. Advertes quartò, ex duplici hac acceptione comprehensionis corporalis per translationem duplicem fuisse deductam acceptionem præcipuam comprehensionis spiritualis, seu per intellectum: Prima est, quæ comprehensioni opponitur infecutioni spirituali, qua viatores in Deum tendunt per intellectum, & voluntatem, estque Beatitudo nostra supernaturalis, seu Visio, & Amor Dei, prout est terminus viæ; siquidem per hujusmodi actus terminatur in patriâ desiderium nostrum, & infecutio viæ, & Deus ipse comprehenditur, licet non omninò perfectè: & in hoc sensu Visio Beata dicitur à D. Paulo comprehensio, ut constat ex testimoniis infra citandis; Beatiq; omnes dici solent comprehensores apud Theologos, & Sanctos Patres, ut infra videbimus.
6. Secunda acceptio strictior, & magis propria est, quæ comprehensio accipitur pro exactâ, & adæquatâ rei cognitione, qua scilicet res cognoscitur quantum ex se cognoscibilis est, prout alibi diximus in Logica loco proximè cit. & explicat D. August. pluribus in locis, præsertim epist. 112. cap. 8. ibi: *Totum autem comprehenditur, videndo, quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem, aut cujus fines circumspici possunt*. Et juxta hanc acceptionem, addita explicatione, siue conditionibus, de quibus jam in Logica loco cit. excitanda, seu intelligenda est questio statim apponenda. Plures alias Comprehensionis acceptiones afferunt Ocham. in 4. dist. 49. quest. 13. art. 1. Gabr. dist. 3. quest. 7. art. 1. quas referunt, & impugnant Doctores citandi. Sit igitur.
7. Difficultas 1. Utrum Deus, saltem de potentia absoluta possit à Beatis comprehendere comprehensione propriè dictâ? Negativè. Quoad rei veritatem ab omnibus Theologis recipitur, celebraturque à Sanctis Patribus communi consensu ad plura loca Sacre Scripturæ: quoad certitudinem Fidei, & si repugnent P. Vasq. 1. part. d. 52. cap. 2. P. Marat. d. 20. sect. 2. P. Alarcon. tract. 1. d. 4. cap. 6. num. 25. & P. Arriaga tom. 1. in 1. part. d. 13. sect. 3. num. 14. exprimitur tamen à P. Valent. 1. p. quest. 112. punct. 5. §. Sed assertio. Bannez. art. 8. hic Zumel. ibid. quest. unica. Pesant. d. unica. Medim.

3. part. q. 3. a. 1. Cabrer. ibid. & d. 2. Ledesma. de divin. perfect. quest. 8. art. 9. Sor. in 4. dist. 49. q. 3. art. 1. P. Molin. 1. p. q. 12. a. 7. §. In hac ergo, & a. 8. d. 5. memb. 2. §. Hæc tamen. P. Soar. lib. 2. de attrib. cap. 5. an. 2. & tom. 1. in 3. p. d. 26. sect. 2. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 4. sect. 6. an. 31. P. Albertin. quest. 4. Theolog. ex 1. princip. num. 21. P. Arrub. 1. p. d. 23. P. Præposit. 1. p. q. 12. a. 7. n. 52. P. Tanner. 1. p. d. 2. q. 6. d. 6. n. 6. P. Amicus tom. 1. d. 10. n. 31. & alii.

Probatur primò autoritate Sacre Paginæ. Jerem. 32. ibi: *Magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu*. Et Job. 11. *Forſitan, ait, vestigia ejus comprehendes, & usque ad perfectum Omnipotentem reperies?* Et ad Rom. 11. *Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Et infra. *Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* ergo si Deus in consiliis, & judiciis suis incomprehensibilis est, multò magis erit in sua substantia.

Dicent cum P. Vasq. cit. cap. 2. an. 4. & P. Gil. tom. 2. tr. 12. cap. 4. n. 2. primum locum Jeremiæ (idemq; de aliis) intelligendum esse de incomprehensibilitate respectu facultatis naturalis intellectus creati, siue secundum ejus vires naturales sp. creati. Non placent primò, quia incomprehensibilitas ibi dicitur de Deo tanquam aliquid Dei proprium, ut ibidem exponunt Patres, sed non ita erit proprium Dei, si prædicto modo intelligatur; siquidem Angelus, gratia Dei in anima, & cogitationes cordis hominum, & Angelorum etiam per facultatem naturalem nostri intellectus non comprehenduntur; ergo &c. Secundò, quia ut rectè notat P. Soar. tom. 1. in 3. p. d. 26. sect. 2. §. Nihilominus. Scriptura ibi loquitur eodem modo de incomprehensibilitate, quo de Immensitate Dei; sed de hac intelligitur secundum omnem virtutem intellectus creati, ut omnes fatentur; ergo sic intelligenda est de illa.

Probatur secundò ex Isai. 53. ibi: *Generationem ejus quis enarrabit?* qui locus ex communi Patrum interpretatione, quos refert P. Vasq. cit. d. 18. cap. 6. & P. Gil. cit. cap. 4. n. 6. intelligitur de Æterna Verbi Generatione, ita ut veli ibi significare, illam à nulla creatura posse adæquatè cognosci, sicque neque comprehendere, cum illa cognitio sit propria solius Dei, ut ipsi Patres attestantur; ergo multò minùs sic poterit cognosci, & comprehendere Essentia secundum omnia, quæ includit.

Probatur tertio, quia Sancti Patres solent ostendere Divinitatē Spiritus Sancti ex eo, quod Naturam divinam comprehendat, quo argumento usus est D. Athan. in Concil. Nicen. sine, contra Arium: idemque colligunt alii Patres ex illo 1. Cor. 2. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei*: Et ex illo: *Quæ sunt Dei nemo novit, nisi Spiritus Dei, qui in ipso est*: in quibus locis idem valet scrutari, atque noscere, & comprehendere, ut ait D. Basil. lib. 5. contr. Eunom. & D. Thom. ad cit. loca cum aliis; sed non esset efficax argumentum divinitatis tertiæ Personæ, si comprehensio Dei posset alicui creaturæ communicari; jam enim non esset proprium solius Dei quæ talis se ipsum comprehendere; ergo &c.

Probatur quartò ex definitione Ecclesiæ in Concil. Lateran. cap. *Firmiter, de Sum. Trinit. ibi* Credimus, & simpliciter confitemur Vnum esse Deum, Infinitum, Immenſum, Incommutabilem, Incomprehensibilem, &c. ubi tam absolutè definitur Deus Incomprehensibilis, atque Infinitus, Immenſus, & Incommutabilis; sed ita est infinitus, immenſus, & incommutabilis, ut aliter fieri nequeat, neque de

de potentia absolutâ; ergo ita dicendus est incomprehensibilis, ut neque de potentia absolutâ comprehendi possit.

13. Dicent cum P. Vasq. cit. cap. 3. §. *Atque imprimis*, ex prædicta definitione nihil colligi pro præfenti difficultate; siquidem etiam ibi dicitur Deus *Ineffabilis*; & tamen inde non rectè colligitur, esse Beatis Ineffabilem etiam de potentia absolutâ; alioqui non possent, ut possunt, de Deo mentis linguâ effari omnia, quæ vident; ergo licet ibidem appelletur *Incomprehensibilis*, id non erit intelligendum de potentia absolutâ.

14. Non placent primò, quia à Concil. cit. apponitur primò *Immensitas*, deinde *Immutabilitas*, & *Incomprehensibilitas*, quasi orientur ex Immensitate tanquam ex radice; sed ex Immensitate necessariò sequitur Incomprehensibilitas adæquata, & in ordine ad omnem potentiam, etiam absolutam, sicut & Immutabilitas; alioqui Deus de potentia absolutâ posset mutari, quod non dicent; ergo &c. Secundò, quia ut rectè notant P. Sal. & P. Albertin cit. Deus adæquatè, & secundum omnem suam perfectionem est à Beatis ineffabilis, etiam de potentia absolutâ; ergo ratio P. Vasq. contra ipsum facit.

15. Tertiò, quia definitiones Ecclesiæ sunt interpretandæ juxta significationem verborum magis propriam, & usurpatam ab Scripturis, & Sanctis Patribus, nisi aliquid obstat; sed Incomprehensibilitas de Deo dicta magis propriè usurpatur ab Scripturis, & Sanctis Patribus pro negatione potentia ad cognitionem adæquatam divinitatis, quæ neque de potentia absolutâ tolli potest, ut infra probabimus; neque ex eo, quod ita illam interpretemur sequitur aliquod incommodum; ergo &c.

16. Probatur quintò autoritate Sanctior. Patr. D. Aug. lib. *Meditat. cap. 29*, ibi: *Sed nec ipsi, nempe Angeli, profecto te videre possunt, sicuti es; nulli denique aliorum, nisi tibi soli, nota es omnipotens Trinitas.* Et lib. *Soliloq. cap. 31*. *Soli quidem tu tibi Trinitas integrè nota es.* Et infra. *Quem neque Cherubim perfecte cognoscunt.* Et D. Greg. lib. 9. *Mor. cap. 10.* ad illud: *Job. Sub quo curvantur, qui portant orbem:* Certè, ait, *quoniam cum curvamur, superiora cernimus, erecti essent illi sublimissimi Spiritus, si plene potentiam Majestatis ejus attingerent, sed qui orbem portant sub Deo curvi sunt, quia divinitatis ejus celsitudinem, quamvis sublevari videant, nec Virtutes tamen Angelice comprehendunt.* Idem habet lib. 10. cap. 7. & lib. 17. cap. 15. Idem habet D. Bernard. de *Pastor. Domini. cap. 17.* & plures alii Sancti Patres tum Græci, tum Latini apud Doctores cit.

17. Probatur sextò ratione, quia Deus est Infinitus, & Imensus in entitate, & perfectione, ut etiam lumine naturali demonstravimus in Metaphysica; ergo comprehendi nequit à creatura finitæ entitatis, & perfectionis. Probatur consequentia, quia modus cognoscendi sequitur modum essendi subiecti, postulatque adæquationem, saltem in ratione cognoscibilitatis cum objecto, ut omnes fatentur; sed impossibilis est ex parte potentia creatæ cognoscentis adæquatio cum cognoscibilitate divina; ergo impossibilis est cognitio comprehensiva Essentiæ Divinæ, sive Dei. Undè tamen proveniat specialius, quod cognitio creata, licet in perfectione augeatur, ad comprehensionem divinitatis pervenire non possit? Explicatè difficillimum est, in sequentibus tamen commodius explicabitur. Aliæ rationes hinc adducipoterant ad probandam præsentem difficultatem.

Tom. I.

tem, quibus illam jam alibi probavimus, illas tamen non adducimus, quia ibi videri possunt in Logica tr. 6. d. 4. à n. 54. & 67.

Argues 1. Ex Scriptura ad Philip. 3. ibi: *Sequitur si quomodo comprehendam.* Et 1. Cor. 9. *Sic currite, ut comprehendatis.* Et ad Ephes. 3. *Ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis;* sed hujusmodi loca, & similia intelligunt Sancti Patres de comprehensione Dei per intellectum, sicque communi Theologorum consensu Beati dici solent comprehensores, quatenus scilicet visione intuitivâ Deum comprehendunt in patria, quem in via non poterant; ergo saltem de potentia absolutâ potest Essentia Divina comprehendi. Respondeo hujusmodi loca intelligenda esse de comprehensione non exactissimâ, & propriissimâ, quæ omnino adæquetur cognoscibilitati objecti, sed de comprehensione minus perfectâ, quæ in tantum dicitur comprehensio, in quantum est affectio objecti, & possessio Dei, prout supra diximus, in quo sensu loquuntur Sancti Patres, & Beatos appellant comprehensores.

Argues 2. Ideò Deus esset absolutè incomprehensibilis, quia sæpè talis dicitur in Scriptura; sed hæc ratio non est efficax; siquidem sæpius in Scriptura Deus dicitur Invisibilis, ut in 1. ad Tim. 1. *Regi seculorum Immortali, & Invisibili.* Et ad Coloss. 1. *Qui est imago Dei Invisibilis.* Et 1. Tim. 6. *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest:* Quæ tamen loca, sicut & similia intelligenda sunt, aut de invisibilitate in hac vita mortali; aut per oculos corporeos; aut per intellectum secundum vires naturales spectatum; ergo licet sæpius dicatur Incomprehensibilis, id accipiendum erit aliquo ex prædictis modis.

Respondeo primò negando majorem; neque enim ideò dicimus, Deum comprehendere non posse, etiam de potentia absolutâ, quia in Scriptura dicitur absolutè Incomprehensibilis; hoc enim rectè impugnatur probatio Minoris, sed quia ita dicitur Incomprehensibilis, ut talis dicatur adæquatè, sicut ex eadem Scriptura, & definitione Ecclesiæ probavimus; hujusmodi autem Incomprehensibilitas excludit comprehensionem oppositam, nempe adæquatam, etiam de potentia absolutâ. Respondeo secundò, data majori, negando minorem; sicut enim ex Scriptura diximus possibilem esse comprehensionem Dei minus perfectam, & veluti inadæquatam, impossibilem verò perfectissimam, & adæquatam; ita eodem modo dicimus possibilem Visionem Dei minus perfectam, idest, non adæquatam, impossibilem verò perfectissimam, idest, adæquatam; siquidem nihil aliud est comprehensio Dei adæquata, quam Visio Dei adæquata: Undè sicut Deus est adæquatè Incomprehensibilis, etiam de potentia absolutâ, ita etiam est adæquatè Invisibilis, etiam de potentia absolutâ, prout supra diximus de illius Ineffabilitate.

Argues 3. Effectus Dei ad extra sæpè in Sacra Pagina dicuntur incomprehensibiles, ut Job. 9. cit. *Qui facit magna, & mirabilia, & incomprehensibilia.* Et cap. 11. cit. *Foris an vestigia, idest opera ejus, comprehendes?* & sæpè alibi; & tamen omnes ab homine, vel ab Angelo comprehendere possunt; ergo &c. Respondeo data majori, saltem de effectibus supernaturalibus, & concessa minori, negando consequentiam; diversa ratio est, quia effectus supernaturales, de quibus hic est sermo, sunt quidem incomprehensibiles, sed inadæquatè, nempe respectu intellectus naturaliter spectati; non

S

autem

autem adequatè, qualiter est Deus, de quo ita intelligenda est Sacra Pagina, ut ex eadem, & Ecclesiæ definitione probatum est.

22. Argues 4. D. Iren. lib. 4. contr. hæres. cap. 39. D. Cyprian. in Opuscul. de Cardinal. Christ. oper. D. Nazian. Orat. 25. 27. & 42. Origen. 1. Periar-
chon. cap. 1. & alii Sancti Patres asserunt, non posse nos Deum comprehendere, donec ad patriam perveniamus; ergo innuunt nos posse eum in patriâ comprehendere. Respondeo concedendo consequentiam, si loquamur de comprehensione minùs perfectâ per quamcunque Visionem Dei intuitivam; non autem de comprehensione exactissimâ, & adequatâ, de qua hic est sermo, & non sunt locuti Sancti Patres.

23. Argues 5. Quando Sancti Patres Deum appellant Incomprehensibilem, id faciunt disputando contra Anomæos, qui in vulgus pronuntiabant, se videre posse Deum in hac vita: imò ita eum de facto cognoscere, ut nihil de ipso ignorarent, sed tam perfectè attingerent, quàm Deus se ipsum cognoscit, qui tamen se ipsum attingit comprehensivè ita videre est in D. Basil. lib. 1. contr. Eunom. et ep. 168. Theodoret. lib. 4. heret. fabular. in Eunom. D. Chrysost. hom. de Incomprehensib. Dei Natur. & aliis; ergo semper intelligendi sunt de Incomprehensibilitate repugnante comprehensioni Anomæorum, id est, in hac vita mortali. Respondeo licet plerique ex Sanctis Patribus sæpè dicant Deum Incomprehensibilem in sensu opposito Anomæorum errori, qui verissimus est; id tamen non ob stare, quominus de fide sit, magis propriè Incomprehensibilem dici in sensu, quem intendimus, ut iidem Patres, & plures alii luculenter probant, & nos supra probavimus.

24. Argues 6. Christus Dominus de facto, quatenus homo cognoscit Trinitatem comprehensivè; siquidem ex D. Isidor. lib. 3. de sum. bono cap. 3. habetur, Trinitatem sibi soli notam esse, & homini assumpto; sed sibi est nota comprehensivè; ergo & homini assumpto; consequenterque Deus non est absolutè Incomprehensibilis ab intellectu creato Resp. negando majorè, & ad locum D. Isidor. cit. dicimus cum P. Recupit. lib. 6. q. 4. n. 15. perperam citari, cum legi debeat: *Trinitas sibi sola est nota, & Humanitas Christi*: quasi dicat, solum Deum comprehendere Trinitatem, & Christi Humanitatem; siquidem hæc quoad dignitatem unionis, quæ ab infinito termino mensuratur soli Deo cõprehensibilis est; sicut & Maternitas Virginis Sanctissimæ: sicut enim Beati non plenè cognoscentes dignitatem Christi Domini præ admiratione dicebant: Psalm. 8. *Quis est iste Rex gloriæ*: ita de Virgine Sanctissima dicebant: Cant. 8. *Quæ est ista, quæ ascendit*.

25. Argues 7. Si daretur lumen gloriæ infinitum in entitate, aut in intensione, intellectus creatus posset ratione illius Deum comprehendere, ut deducitur ex D. Thom. 1. p. q. 12. a. 7. & 8. & 3. p. q. 10. a. 2. asserente, ideo intellectum creatum Deum non comprehendere, quia nec habet, nec habere potest huiusmodi lumen infinitum, cuius sententia, saltem ut probabilis admitti debet; sed neque ex fide, neque ex ratione colligitur, impossibile esse huiusmodi lumen, imo contrarium est probabile, cum probabile sit Deum posse infinitum actu producere, ut patet ex alibi dictis in Physica; ergo salte probabile est, Deum posse ab intellectu creato comprehendendi. Resp. permittit majori cum D. Thom. de qua infra, negando minorem: neque enim solum rationi naturali repugnat huiusmodi luminis infi-

nitas, sed etiam fidei, si non immediatè, & per se primò, saltem mediatè, & consecutivè, quatenus ex illa infertur divinitatis comprehensio, quod inferius magis explicabitur.

Instabis: Nemo potest negare præmissas illas, nempe maiorem & minorem, esse probabiles, & collocatas in bona forma; sed ex duabus probabilibus in bona forma collocatis sequitur conclusio probabilis; ergo probabiliter infertur Dei comprehensio. Respondeo præmissas illas esse probabiles, si sumantur divisim, & sigillatim; non ita verò conjunctim, & collectim; nam si sequatur posse probabiliter produci lumen gloriæ infinitum, debeo dicere, non posse Deum per illud comprehendendi: & è contra, si hoc sequatur, debeo illud omninò negare.

Argues 8. Ex D. Aug. epist. 112. cap. 8. illud dicitur cõprehendi, quod ita videtur, ut nihil illius lateat videntem; sed nihil Dei Beato lateat, aut latere potest; siquidem cum Deus sit summè Unus, summè simplex, & indivisibilis, non potest cognosci secundum unam perfectionem, & non secundum alias omnes; quod enim est summè simplex, aut totum cognoscitur, aut totum ignoratur; alioqui si partialiter, jam partes haberet, & à summa simplicitate deficeret; ergo Deus à quolibet Beato comprehenditur perfectè, utpotè qui ab illo cognoscitur, quantum in se cognoscibilis est.

Respondeo primò, argumentum, si aliquid urgeret, probare, dari comprehensionem perfectam Dei, non solum de potentiâ absolutâ, sed etiam de facto, ut consideranti patebit, quod Adversarii non concedent; si ergo illam de facto non probat, neque sic probat de possibili. Respondeo secundò negando minorem; nam ex summa Dei Unitate, & Simplicitate solum colligitur, visâ clarè, & intuitivè Essentiâ, videri etiam clarè & intuitivè omnia, quæ in eadem continentur; non tamen sequitur, videri omnia distinctè, seu ita ut secundum omnes suas peculiâres rationes expressè cognoscantur, ex quâ solum cognitione sequitur, Deum cognosci quantum ex se cognoscibilis est, sicque comprehensive, ut infra magis explicabitur. Neque obstat summa illa Simplicitas, & Unitas Dei, cum qua stare possunt partes virtuales, & quoad nos.

Argues 9. Non magis repugnat, Deum uniri creaturæ comprehensibiliter, quàm personaliter; siquidem hoc sit per unionem realem, illud verò per unionem intentionalem; Deus autem per hanc minùs connectitur cum creatura, quàm per illam; sed potest, imò de facto est Deus hypostaticè, sive unione personali Humanitati Christi Domini unitus, ut est de fide; ergo saltem de possibili poterit comprehensibiliter uniri alicui intellectui creato unione intentionali. Respondeo negando maiorem: licet enim absolutè loquendo, maior sit Unio realis, seu physica, quàm intentionalis; & sola realis personalis dari possit in Deo: siquidem omnis alia realis, exceptâ personali, esset ad compositionem per accidens, quod in Deo implicat, ut jam alibi diximus; & absolutè non repugnet huiusmodi Unio intentionalis; siquidem hæc solum ad intellectionem, & non ad compositionem ordinatur, ut patet in Visione Beata; talis tamen Unio intentionalis, quæ sit ad Deum comprehensibiliter, maximè repugnat, ut ex supra apposis fundamentis satis constat.

Argues 10. Ex P. Valent. cit. punct. 6. §. quoad secundam, licet ex Scriptura constet, nullam dari de

de facto creaturam, quæ Deum comprehendat, nullum tamen est testimonium, ex quo colligatur, non esse possibilem aliquam, cui competat huiusmodi comprehensio; ergo saltem de potentia Dei absoluta erit possibilis. Respondeo negando antecedens, ut ex statim dicendis constabit. Sit igitur.

31. Difficultas 2. Utrum Deus dicatur Incomprehensibilis de potentia absoluta, non solum respectu creaturæ de facto à Deo conditæ, sed etiam cuiuscunque creabilis, & possibilis? Affirmative. Ita expressè Cabrer. *Ledema*, P. Mol. P. Soar. & alii supra cit. Probatur primò, quia comprehensio Dei denegatur omnibus Beatis; imò & Animæ Christi Domini, deducendo ad impossibile rationes oppositas; ergo signum est, eandem negari cuilibet creaturæ etiam factibili; quod enim est impossibile nulli conceditur. Secundò, quia quidam ex Sanctis Patribus Dei comprehensionem creaturæ denegant, quia creatura est: alii, quia finita; alii, quia est propria solius Dei; sed hæc omnia militant contra creaturam etiam possibilem; ergo &c. Tertiò, quia testimonia Scripturæ, definitio Concil. Lateran. imò & ratio breviter apposta idem non obscure significant; ergo &c.

32. Oppositum videtur sentire solus P. Valent. loco proximè cit. ex illius adducta ratione, quæ potest à simili confirmari sic: Ex testimonio Sacre Paginæ, & Sanctior. Patr. quibus probatur, Deum esse creaturæ menti invisibilem, solum colligitur de fide, talem esse respectu intellectus creati, non tamen creabilis; ergo similiter dicendum de illius Incomprehensibilitate. Ad insinuatam rationem P. Valent. patet jam solutio ex supra dictis; ad illius tamen confirmationem. Respondeo primò negando antecedens; probabilius enim existimo de fide esse, Deum videri non posse facultate naturali alicujus intellectus etiam creabilis, ut patet ex supra, & alibi jam dictis. Respondeo secundò, dato antecedente, negando consequentiam: nam testimonia, & definitio Ecclesiæ pro divina Incomprehensibilitate sunt adeò manifesta, ut nullam in oppositum patiantur explicationem Theologo dignam.

33. Difficultas 3. Utrum possibilis sit species impressa comprehensiva Dei? Negative. Probatur, quia species impressa tota, & totaliter ordinatur essentialiter ad speciem expressam, tamquam actus primus ad actum secundum; sed impossibilis est species expressa adequata intelligibilitati divinæ, ejusque comprehensiva, ut hæcenus diximus; ergo etiam impossibilis erit species impressa sic ei adequata, & comprehensiva; ex impossibilitate enim actus secundi bene arguitur impossibilitas actus primi. Ita debent tenere Doctores omnes supra citati num. 7. qui id defendunt de specie expressa, sive cognitione comprehensiva Dei. Hæc præsens difficultas longiorem exigebat tractationem, quia tamen de illa satis egimus in Logica tract. 6. d. 4. à num. 99. quæ hic transcribenda erant, ibi videnda habes, & legenda.

SECTIO II.

Cur cognitio creata intuitiva Dei non sit ejusdem comprehensionis?

34. **U**BITANDI ratio pro præsentī quæstione desumitur ex eo, quia cognitio creata intuitiva Dei necessario attingit omnia, quæ sunt formaliter in Deo; sed hoc stare posse absque comprehensione totius divinitatis videtur creditu difficillimum, ut constat; ergo &c. Igitur:

35. Prima de hac re sententia statuit, ideò cognitionem creatā intuitivā Dei non posse eum comprehendere, quia non est ens à se, & infinita in omni genere; consequenterque adequata in entitate ipsi Deo. Ita Rubion q. 1. Prolog. art. 2. conclus. 1. Greg. in 1. dist. 44. q. 4. art. 2. ad 9. Major. in 3. dist. 14. q. 4. ad 1. & in 4. dist. 49. q. 15. Et in hunc sensum explicat P. Vasq. 1. p. d. 49. cap. 2. & d. 53. cap. 2. communem sententiam de Incomprehensibilitate Dei, asserens prout sic explicatam esse de fide.

36. Probant hanc suam sententiam, quia ad comprehensionem perfectam requiritur adequatio inter potentiam, & objectum; hæc autem solum dari potest inter Cognitionem Increatam, & Deum clarè visum; siquidem tam ille, quàm illa sunt entia à se, & infinita; ergo &c. Confirmatur, quia lumen gloriæ, aut elevatio nostri intellectus infinita non est impossibilis; ergo ratione illius attingi potest Deus quantum est cognoscibilis; sed posita hac cognitione, adhuc divinitas non comprehenderetur, quia prædicta adequatio non daretur; ergo necessario recurrendum est ad cognitionem à se infinitam in omni genere.

37. Rejicitur primò, quia comprehensio in corporalibus à qua desumpta est Metaphora ad intellectum, non requirit hanc adæquationem entitativam inter comprehendens, & comprehensum; siquidem sæpè ea, quæ deteriora sunt in entitate, comprehensive continent nobiliora, ut mille exemplis patet; ergo neque in spiritualibus.

38. Secundò, quia hæc adæquatio, aut esset necessaria, quatenus ad comprehensionem requiritur cognitio perfectissima, quæ haberi potest de tali re: aut quatenus alia cognitio non sufficit præter illam, quæ objecto adæquatur in perfectione entitativa: Non primò; alioqui solus Deus objecta creata comprehenderet, utpotè qui solus habet cognitionem omnium perfectissimam: Non secundum; alioqui intellectus creatus nullam substantiam posset comprehendere; siquidem cum sit in entitate accidens, non potest sic substantiæ adæquari; ergo &c. Undè patet solutio ad probationem, & negatur antecedens confirmationis, quod infra explicabitur.

39. Secunda sententia sustinet, ideò Visionem Beatorum non esse Dei comprehensivam, quia solum attingit Essentiam divinam quoad prædicata essentialia, non autem quoad omnia illa, quæ ad ejus intelligibilitatem spectant aliquo modo, quales sunt creaturæ; siquidem cum sint infinitæ, non possunt distinctè percipi visione creata, aut creabili. Ita P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 26. num. 13. & 14. quem sequuntur aliqui Recentiores. Probatur, quia cognitio comprehensiva necessario debet attingere objectum quatum ex se cognoscibile est,

ut supra diximus ex D. Aug. sed Essentia Divina peculiarem cognoscibilitatem sibi vendicat ex creaturis, ut ex effectibus, quæ tamen non possunt distinctè cognosci, cum sint infinitæ, imò infinities infinitæ, ut dici solet; ergo &c.

40. Rejicitur tamen à P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 4. sect. 6. num. 49. & à P. Gil. tomo 2. tract. 12. cap. 7. num. 7. quia creaturæ solum pertinent ad cognoscibilitatem Essentiæ divinæ in obliquo, quatenus Essentia necessarium cum illis habet connexionem, & sine illis, tanquam terminis essentialibus, penetrari non potest; ergo in tantum creaturæ nequeunt cognosci in Essentiâ clarè visâ, in quantum ex parte Essentiæ latet connexio aliqua essentialis eum ipsis, tanquam cum effectibus; ergo potius creaturæ ipsæ non cognoscuntur distinctè, quia non comprehenditur Essentia, quàm è contra, non comprehenditur Essentia, quia non cognoscuntur creaturæ, ut ait P. Soar.

41. Tertia sententia asserit, idè Essentiam divinam non comprehendi à Beatis per Visionem Beatam, & intuitivam Dei, quia licet videant distinctè omnia, quæ sunt in Deo formaliter, non tamen distinguunt illa, quæ in eo continentur eminenter, seu quia non penetrant esse eminentiale Dei. Ita Cabrer. 3. p. q. 10. a. 1. d. 1. ad 2. & 3. & d. 3. ad 1. & a. 2. d. 6. *Ledesma de divin. perfect. q. 8. a. 9. conclus. 2.* quam videtur approbasse P. Soar. tomo 1. in 3. p. d. 26. sect. 1. in 2. & 3. dicto. & Egid. tomo 3. de Beatitud. q. in Appendice a. 1. §. 5. num. 19. quatenus dicunt illud ipsum requiri ad comprehensionem adequatam. Est satis communis.

42. Probatur, quia ad comprehensionem perfectam, & adequatam objecti requiritur penetratio distincta totius esse, non solum formalis, sed etiam eminentialis ipsius objecti; alioqui hoc non cognosceret quantum ex se cognoscibile est, quod ad cognitionem perfectè comprehensionem requiritur; sed impossibile est distinctè percipi omne esse divinum eminentiale; siquidem necessarium esset, distinctè penetrari omnes connexiones, & habitudines, quas Deus habet cum infinitis creaturis, quod cum limitatione intellectus creati stare nequit; ergo licet Beati intuitivè videant quæcumque formaliter sunt in Deo, non idè illum comprehendunt comprehensione perfectâ, quia adhuc, quæ in eo sunt eminenter, non attingunt distinctè.

43. Rejicitur tamen à P. Gil. tom. 2. tr. 12. cap. 7. num. 6. & aliis Recentioribus, quia per illud esse eminentiale divinum, aut intelliguntur creaturæ, quatenus sunt quædam participationes Dei in eo virtualiter contentæ, seu eminenter: aut intelligitur aliquid divinum re ipsa in Deo existens: Si primum, coincidit hæc cum sententia, quam proximè impugnâvimus: Si secundum; ergo nihil aliud est ipsum esse eminentiale, quàm infinita Dei Potentia, cæteræque perfectiones, in quibus ipsæ creaturæ continentur eminenter; sed hæ rationes sunt in Deo formaliter, videnturque à Beatis intuitivè, sicut videtur Essentia, & cætera Attributa; ergo ad explicandam Incomprehensibilitatem Dei, recurrendum non est ad esse eminentiale, tanquam ad aliquid distinctum ab esse formali.

44. Quarta sententia, quàm singulariter tenet P. Vassq. 1. p. d. 13. cap. 4. §. 2. Arguet deinde, docet, idè Beatos Deum non comprehendere in patria, quia non vident in Deo omnes creaturas ex vi Essentiæ prius cognitæ. Fundatur, quia ut aliquod objectum comprehendatur, opus est, quod ex vi

cognitionis ejusdem cognoscatur quicquid ab illo pender; ita ut, si id solum fiat concomitanter, non sit illius cognitio comprehensiva, sed aliunde juvabitur; sed creaturæ nequeunt cognosci ex vi Essentiæ prius cognitæ, sed solum concomitanter, ut ipse P. Vassq. latè probaverat d. 49. & nos ex eodem supra retulimus; ergo &c.

Rejicitur à P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 29. à num. 9. P. Albertin. quest. 4. Theolog. ex 1. princip. num. 10. & aliis: Primò, quia falsum est, creaturas, seu effectus Dei cognosci non posse ex vi Essentiæ prius cognitæ, ut supra probavimus; ergo &c. Secundo, quia Beati de facto cognoscunt creaturas ex vi Essentiæ prius cognitæ; siquidem Visio Beata, prout cadit in creaturas objectum secundarium, est discursiva; & tamen Deum non comprehendunt; ergo &c. Tertiò, quia Deus de facto se ipsum perfectissimè comprehendit, quin cognoscat creaturas ex vi Essentiæ prius cognitæ; ergo ad perfectam cognitionem comprehensionem non requiritur cognosci effectus ex vi suæ causæ prius cognitæ.

Quinta sententia affirmat, idè Beatos in patria de facto Deum non comprehendere, nec posse etiam de potentia absoluta, quia licet ab illis cognoscatur intuitivè, & distinctè quoad perfectiones primarias, aliquæ tamen, imò infinita Dei perfectiones virtuales, & secundariæ ipsos Beatos latent quoad cognitionem nimirum distinctam, & expressam, sive in particulari, quamvis quoad confusam, & per modum unius singuli omnia videant, ut supra diximus. Ita Albert. 1. part. sum. tr. 3. quest. 13. memb. 2. ad 4. & in 1. dist. 1. art. 15. ad 3. & ad 4. Alens. 1. p. quest. 2. memb. 1. art. 2. ad 1. D. Thom. Opuscul. 72. & quest. 8. de Verit. art. 4. ad 11. & 12. D. Bonavent. in 1. dist. 3. 1. part. quest. 1. ad 2. Durand. in 1. dist. q. 1. n. 10. Paludan. in 4. dist. 49. q. 2. art. 2. num. 14. & Argentin. in 3. dist. 14. q. unica, a. 3. ad 3. Palat. in 1. dist. 1. d. 3. P. Gil. tom. 2. tr. 12. cap. 8. & 9. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 4. sect. 6. à n. 94. P. Albertin. q. 4. Theolog. ex 1. princip. à n. 6. & alii.

Probatur primò testimonio Sacræ Paginæ, & Sanctor. Patr. quibus supra probavimus Deum esse Incomprehensibilem, etiam de potentia absoluta; sed talis dici nequit, quia in eo non cognoscuntur, quæ in ipso sunt cognitione à se, & infinita in omni genere; non quia in eo non cognoscuntur omnes creaturæ; non quia in eo non cognoscitur omne esse eminentiale distinctum à formali; non denique quia in eo non cognoscuntur omnes creaturæ ex vi Essentiæ prius cognitæ; ergo ex eo, quod aliqua, quæ in eo formaliter continentur, non cognoscuntur, saltem quoad cognitionem distinctam, & in particulari.

Probatur secundò ex variis modis loquendi Sanctor. Patr. & Theologor. Primus quatenus dicunt, non videri à Beatis quid sit Deus: Secundus, non videri integrè, ex toto, & plenè ad plenum, sic D. Aug. lib. Soliloq. cap. 31. D. Gregor. lib. 9. Mor. cap. 10. & lib. 10. cap. 10. & D. Isidor. cap. 41. in Exod. Tertius, Beatos non cognoscere Dei Magnitudinem, Infinitatem, Immenstatem, ita D. Dionys. cap. 1. de divin. Nominib. Tertul. Apologet. advers. gent. cap. 17. D. Iren. lib. 4. contr. Hæres. hæres. 37. D. Hilari. in psalm. 134. ad illud quia ego cognovi, &c. Quartus, Beatos nescire quantus sit Deus, ut ait D. Aug. serm. 190. de tempore. D. Laurent. Justin. lib. de Contemp. mundi cap. 12. D. Ambr. lib. 8. disp. contr. gent. Quintus Theologor. qui dicunt Deum videri à Beatis totum, sed non totaliter; sed omnes

omnes hi modi, & plures similes, veritatem habere non possunt, nisi aliqua fateamur, imò plura, & infinita eorum, quæ sunt in Deo formaliter, non penetrari à Beatis, saltem cognitione distincta, & in particulari, prout sapius explicavimus; ergo &c.

49. Probatur tertio ratione, quia ad hoc ut Essentia divina dicatur comprehendi, debet cognosci, quantum ex se cognoscibilis est, attingendo non solum ejus Attributa, & perfectiones primarias, sed etiam omnem earum intensionem, & extensionem virtutalem, penetrando, & distinguendo omnes, & singulas in particulari; siquidem omnes sunt Deo essentielles; alioqui non conciperetur Essentia adæquatè, neque quantum ex se cognoscibilis est, ut patet; sed hujusmodi perfectiones partiales intensionis, & extensionis sunt infinitæ, imò & infinites infinitæ, ut constat; ergo attingi nequeunt per virtutem finitam, qualis est, quæ datur in intellectu creato, aut creabili; consequenterque Incomprehensibilitas Divina consistit in eo, quod plures, imò & infinitæ perfectiones occultentur intellectui creato, aut creabili quoad cognitionem distinctam & in particulari.

50. Confirmatur à simili in creatis, quia qualitas intensa, aut quantitas extensa non dicitur comprehendi, nisi omnes partes intensionis, aut extensionis distinctè penetrantur; neque substantia aliqua metaphysicè spectata dicitur comprehendi, quoad usque intellectus percurrendo omnes illius gradus, perveniat ad illum, quo ultimò constituitur; alioqui cognitio comprehensiva non distingucretur à definitiva, quod dici non potest; ergo similiter, ut Essentia Divina comprehendatur, omnes illius perfectiones metaphysicæ intensivæ, & extensivæ, prout statim explicabimus, penetrandæ sunt quoad omnes earum partes, seu gradus virtuales. Quod ut melius intelligas.

51. Advertes primò, perfectiones divinas à nobis concipi ut partes Essentiæ metaphysicas, easque intensivas, & extensivas. Partes metaphysicæ, seu quasi metaphysicæ dicuntur perfectiones illæ, quæ sunt in Deo, seu in eo concipiuntur per modum generis, ut ratio entis, substantiæ, viventis, & similes; & quæ concipiuntur per modum differentiarum, qualia sunt omnia, & singula Attributa.

52. Perfectiones, seu partes intensivæ Essentiæ dicuntur omnes omnino Dei perfectiones, quatenus earum quælibet secundum suam rationem formalem, ut verum exemplar, infinitè excedit perfectionem creaturæ exemplarizata, etiam si hæc in sua perfectione augeatur in infinitum; quæ tamen intensio non est formalis per additionem gradus ad gradum, qualis datur in qualitatibus, sed virtualis, quæ etiam concipi potest in rebus creatis nobilioribus respectu minus nobilium. Perfectiones, seu partes extensivæ Essentiæ dicuntur illæ tantum, quæ concipiuntur in ordine ad extrinsecam, ut ad objecta; aut quæ dicuntur, seu concipiuntur cum æquipollentia ad illa, quæ extensionem vendicant; & hæc extensio similiter non est formalis, qualis reperitur in Quantitate, sed solum virtualis, ut constat.

53. Declaratur utriusque generis perfectio exemplo Scientiæ divinæ; hæc enim dicitur pars, seu perfectio intensiva, quatenus, prout ad singula objecta terminatur, excessum habet infinitum supra claritatem, & perfectionem intensivam omnium cognitionum creatarum, & quot creatas excedit in perfectione, tot dicitur habere gradus inten-

sionis virtualiter distinctos. Deinde eademmet Scientia dicitur perfectio extensiva, quatenus ad plura, seu infinita objecta terminatur; & in eadem similiter tot partes extensivæ virtute distinctæ admittuntur, ad quot objecta, & numero, & specie diversa terminatur. Eodem modo dicitur perfectio extensiva Immensitas, Aternitas, & similia Attributa, quia se ipsis æquipollent creatoris extensis majoribus, & majoribus in infinitum.

54. Advertes secundò, partes intensivas, & extensivas perfectionum Dei, prout proximè explicavimus, non esse minùs intrinsecas, & essentielles ipsi Deo, atque sunt partes, sive perfectiones quasi metaphysicæ supra assignatæ. Patet, quia deficiente perfectione partiali intensivâ, aut extensivâ, etiam minimâ, jam non esset Deus pelagus, & cumulus totius perfectionis, atque adeò Ens per essentiam, in quo ratio, & essentia ipsius Dei à Theologis constituitur. At verò in creatis partes intensionis, & extensionis, saltem actuales, rebus quæ intenduntur, & extenduntur, non sunt essentielles, ob rationes oppositas; secus tamen dicendum de partibus intensivis, aut extensivis virtualibus, ut de se constat. Contra traditam sententiam:

55. Oppones efficaciter: Dari, aut non dari infinitum actu, saltem de potentiâ Dei absolutâ, versatur in opinione Philosophorum, & Theologorum, ut vidimus in *Phylica tract. 3. d. 2. à num. 43.* & partem affirmativam defendunt *P. Esol. P. Hurr. P. Arring. ibid. cit.* & alii plures Recentiores; ergo non rectè defenditur, neque probatur Incomprehensibilitas Dei ex eo, quod repugnet infinitas ex parte intellectus creati, aut saltem creabilis; siquidem cum Incomprehensibilitas Dei à pluribus recipiatur ut dogma fidei, non debet niti fundamento adeò incerto, & quod sit in opinione.

56. Resp. dato antecedente, negando consequentiam, ad cujus probationem dicimus, licet quæstio illa de infinito actu, & categorematico versetur in opinione, satis tamen esse, quod pars negativa sit probabilis, imò probabilior, ut patet ex dictis locò proximè citato, ut rectè defendi possit dogma illud fidei, quod novum videri non debet; siquidem plura alia Mysteria fidei aliter non defenduntur, quàm per rationes probabiles, cum eorum evidentiam in hac vita non habeamus: Ita se res habet in Mysterio, quo credimus Verbum Divinum procedere per generationem, & non ita Spiritum Sanctum, quod Mysterium, ut explicant Doctores, in varias sententias probabiles dividuntur, ut alibi videbimus; sic quæ de aliis.

57. Inferes: Ergo saltem ille, qui probabiliorẽ dixerit sententiam affirmantem, dari posse infinitum actu, nullam poterit rationem reddere, nullumque fundamentum habebit ad tuendam Incomprehensibilitatem Dei; hoc autem est contra sensum communissimum Theologorum; videturque repugnare Sacræ Paginæ in 1. Petr. cap. 3. ibi *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe;* ergo &c. Respondeo negando illationem; nam qui probabiliorẽ existimaverit sententiam illam de infinito actu, & categorematico, ad minimum non potest negare, oppositam esse satis probabilem, quod satis erit ad fidei Mysterium ratione tuendum, ut diximus. Quod si adeò excutiat in meride, ut illam improbabilem credat, novam excogitet rationem, quæ prædictum Mysterium tueatur.

58. Urgebis: In opinione admittente infinitum actu non poterit fidelis solvere argumenta contra

hoc dogma fidei ab Hæretico, aut Ethnico proposita; hoc autem est contra Theologos in materia de fide; ergo &c. Respondeo negando maiorem: satis enim est, opinionem, quæ negat infinitum actum, probabilem iudicare, ut secundum illam quælibet argumenta dissolvat. Hæc sententia, ut ex hæcenus dictis liquet, est valde probabilis, & sustineri potest.

59. Nihilominus adhuc rejici potest: Primò, quia licet Beati de facto Deum non comprehendant ex eo, quod non cognoscant distinctè quidquid est in Deo, ex infinito tamen numero divinarum perfectionum non rectè probatur Dei Incomprehensibilitas respectu intellectus creati, aut saltem creabilis, qui possit huiusmodi infinitatem attingere; siquidem ad id nulla adducitur manifesta implicancia; ergo &c.

60. Secundò, quia tam infinitus est numerus perfectionum divinarum, quam infinitus est numerus possibilium creaturarum, aut partium incertarum, seu potentialium alicujus quantitatis; siquidem uterque numerus est infinitus; unum autem infinitum non excedit aliud, saltem intensivè; sed nulla apparet repugnantia in eo, quod Deus elevari intellectum creatum ad cognoscendum infinita possibilia, aut infinitas partes quantitatis distinctè, & in particulari; ergo neque in eo, quod elevari possit ad videndum in ipso Deo distinctè infinitas ejus perfectiones.

61. Tertiò, quia non magis videtur repugnare, objectum infinitum cognosci, idque quoad infinita, quæ habet, distinctè, & in particulari, quam dari cognitionem creatam in entitate infinitam, aut lumen infinitè intensum; sed qui adstruunt infinitum actum, solum de potentia absoluta (quæ opinio est probabilis, ut diximus) tenentur admittere infinitam cognitionem, & infinitum lumen de possibili; hoc autem, & illa possent attingere infinitum objectum; consequenterque infinitas Dei perfectiones; ergo non rectè collocatur repugnantia comprehensionis Dei in eo, quod infinitæ Dei perfectiones non possint distinctè cognosci.

SECTIO III.

Proponitur, & stabilitur sexta sententia non minus probabilis.

62. **S**EXTA Sententia non minus probabilis quam præcedens, (& si apud aliquos Recetiores probabilior,) asserit, Deum esse Incomprehensibilem ab ullo intellectu creato, aut creabili, quia hic Deum non videt, neque videre potest ita perfectè, sicut Deus perfectè visibilis est. Ita prout statim explicabimus, tenent D. Thom. 1. p. q. 12. a. 7. ad 3. & 3. p. q. 10. a. 2. ad 3. & q. 8. de Verit. a. 2. ad 2. & ad ult. & 3. contr. gent. cap. 53. Richard. in 3. dist. 14. art. 1. quest. 4. Scot. ibid. quest. 2. §. in prima quest. Durand. q. 1. n. 10. Bassol. q. 2. sine. Aureol. quodlib. 10. a. 1. Scot. in 4. dist. 49. q. 3. a. 1. ad 2. Capreol. q. 6. a. 3. Ferrar. 3. contr. gent. cap. 55. §. ult. P. Mol. 1. part. q. 12. art. 7. & 8. d. 2. ad 1. P. Arrub. 1. p. d. 23. cap. 4. quos citat & sequitur P. Amicus tomo 1. d. 10. n. 5. P. Præposit. 1. p. q. 12. art. 7. à n. 52. P. Compton. d. 20. sect. 3. à num. 6. de Anim. P. Rhodæz tomo 1. d. 2. quest. 4. §. 1. sect. 3. & alii: ad cujus probationem.

63. Supponendum est primò, cognitionem comprehensivam alicujus objecti, ut talis sit, debere ipsi objecto dupliciter adæquari, prout alibi dixi-

mus in Logica tract. 6. d. 4. à num. 52. nempe *extensivè*, & *intensivè*: Tunc adæquatur *extensivè*, quando videntur omnia, quæ sunt in objecto, hoc tamen non sufficit ad rigorosam comprehensionem: tunc autem adæquatur *intensivè*, quando ita videntur omnia, quæ sunt in objecto, ut videantur cum omni perfectione possibili in modo cognoscendi, quæ exigitur ex parte objecti cognoscibilis, & tunc datur perfecta, & rigorosa comprehensio.

Supponendum secundò, huiusmodi perfectionem, quæ exigitur in modo cognoscendi, tripliciter comparari ad objectum cognoscibile: primò, quando excedit exigentiam objecti cognoscibilis, ut patet in cognitione divina circa res creatas: Secundò, quando excedit ab exigentia objecti cognoscibilis: Tertiò, quando cum objecto cognoscibili commensuratur: Primum non requiritur ad comprehensionem: secundum non sufficit: tertium sufficit & requiritur.

Supponendum tertio, non omnem perfectionem entitativam, quam habet objectum cognoscibile, requiri ab eodem, prout stat sub ratione cognoscibilis; siquidem substantia creata potest comprehendere cognitionem creatam, cum tamen hæc sit accidens. Unde sicut perfectio cognitionis excedens objectum cognoscibile, habet se materialiter, & per accidens ad comprehensionem, ita etiam aliquando per accidens, & materialiter se habet perfectio entitativa objecti excedens cognitionem.

Supponendum quartò, ea postulari ab objecto formaliter in ratione intelligibilis, quæ formaliter competunt intellectivo in ratione intellectivi; siquidem hæc duo sunt correlativa; sed intellectivum formaliter sequitur ad abstractionem à materia; ergo ea perfectio, quæ spectat formaliter ad abstractionem à materia, spectat etiam formaliter ad rationem intellectivi, & intelligibilis; ergo cum triplex sit modus immersionis in materia, triplex numerari potest abstractio ab illa in potentia cognoscitiva in ordine ad cognoscibile. Unde aliquando vis cognoscitiva est totaliter immersa in materia cum affectione ad organum sensibile, ut fit in potentia visiva, & ab hac immersione abstrahit intellectus humanus: aliquando est immersa in materia physica per unionem sine affectione ad organum, ut fit in intellectu humano pro hac vita, & ab hac immersione abstrahit intellectus Angelicus: aliquando tandem est immersa in materia metaphysica, qualis est possibilitas ad essendum, & ab hac immersione nullus intellectus abstrahit, nisi solus divinus, qui solus est actus purissimus, absque ulla potentialitate. His suppositis.

Probatur impossibilitas comprehensionis Dei per intellectum creatum, aut creabilem in hunc modum: quia ut daretur huiusmodi comprehensio, debebat modus cognoscendi creatus adæquari, non solum *extensivè*, sed etiam *intensivè* cognoscibilitati objecti cognoscibilis, nempe Dei, ita ut tantum Deus cognosceretur, quantum postulat cognosci; sed huiusmodi adæquatio intensiva est impossibilis; ergo &c. Probatur minor, quia ut cognoscitivum adæquatur intensivè cognoscibili, nempe secundum illius exigentiam, debet utrumque esse in eodem ordine abstractionis à materia, prout proxime diximus; sed impossibilis est creatura, licet perfectissima, quæ sit in eodem ordine abstractionis à materia cum Deo; siquidem Deus, cum sit actus purissimus, abstrahit possibi-

ab omni materia etiam metaphysica, nempe à possibilitate ad essendum; creatura autem, cum sit essentialiter ens ab alio, abstrahere nequit à possibilitate ad essendum; ergo impossibilis est adæquatio intensiva inter intellectivum creatum, & intelligibile Increatum; consequenterque cognitio creata, quæ sit comprehensiva Dei.

68. Obijcies 1. Hæc sententia, prout sic explicata, videtur coincidere cum primâ, & quintâ sententia; siquidem prima ad comprehensionem Dei requirit cognitionem, quæ sit ens à se, consequenterque Increata; quinta autem cognitionem in entitate, & modo cognoscendi infinitam, quæ proinde possit infinitas Dei perfectiones distincte attingere; atqui præsens sententia requirit cognitionem, quæ sit actus purissimus, quale est objectum, nempe Deus; si autem talis sit, erit procul dubio Increata, & in entitate infinita; ergo coincidit cum prædictis sententiis; consequenter per eam non bene aliæ rejiciuntur.

69. Respondeo negando majorem; quinta enim sententia idè non placuit, quia supponebat, sufficere ad comprehensionem Dei cognosci distincte omnia, quæ sunt in Deo, quod negamus: prima verò, quia ad id postulabat adæquationem entitativam, cujus oppositum ostendimus: hæc autem magis placet, quia ad comprehensionem Dei exigit intensivam adæquationem cognoscitivi cum cognoscibili; consequenterque quod utrumque sit in eodem ordine abstractionis à materia, quod est impossibile. Undè si aliqua cognitio attingens Deum esset per impossibile actus purus, & neq; Increata, neque infinita esset, adhuc Deum comprehenderet: similiter è contra, si Deus esset actus purus, & per impossibile non esset Increatus, neque Infinitus, adhuc implicaret comprehendi à creatura.

70. Obijcies 2. Tota ratio comprehensionis in eo est, quod per cognitionem attingatur quidquid est in objecto; defectus verò adæquationis inter cognitionem creatam, & objectum Increatum, est quid materiale, & per accidens; sicut tale est inter substantiam, & cognitionem accidentalem illius comprehensionem; ergo frustra exigitur, quod cognitio comprehensiva sit in eodem ordine abstractionis cum objecto cognoscibili.

71. Respondeo negando antecedens; non enim sufficit ad comprehensionem attingere quidquid est in objecto, sed requiritur modus attingendi ita proportionatus, ut omnino commensuretur exigentiæ objecti; quod verò objectum sit substantia, & cognitio sit accidens, hoc est valde materiale per ordinem ad abstractionem à materia, & habet se per accidens in ratione cognoscibilis, & cognoscitivi, & est speciale in creatis, quod cognitio sit accidens, utpotè actus vitalis potentia adveniens: secus autem se res habet in ratione creati, & Increati; siquidem nunquam possunt sibi perfectissimè correspondere, & adæquari ex eo, quod nequeant esse in eodè ordine abstractionis à materia.

72. Obijcies 3. Angelus inferior potest superiorem comprehendere; & tamen ejus cognitio non pertingit ad perfectionem cognitionis, qua Angelus superior se adæquat; ergo etiam creatura poterit Deum comprehendere, licet ejus cognitio non pertingat ad perfectionem cognitionis, qua Deus se ipsum intelligit. Respondeo primò cum multis negando majorem ob rationem insinuatam. Respondeo secundò, data majori, & minori, sive comprehensio habeatur naturaliter, sive divinitus per elevationem potentia; negando consequen-

tiam: disparitas est manifesta ex dictis, quia uterque Angelus est in eodem ordine abstractionis à materia physica, sicque exclusus solum est entitativus, qui materialiter, & per accidens se habet ad comprehensionem, ut diximus: at verò Deus, & cognitio creata nunquam possunt esse in eodem ordine abstractionis à materia, ac proinde excessus est formalis in ratione cognoscibilis ad cognoscitivum, ideoque non potest unquam à creatura aliqua comprehendi. Ex hæcenus dictis.

Colliges primò, radicem, & fundamentum Incomprehensibilitatis divinæ esse infinitudinem entitatis, & intelligibilitatis divinæ, aut quatenus aliqua, seu infinita Dei perfectiones, saltem virtuales, & secundariæ non attinguntur, neque etiam de possibili attingi possunt à cognitione aliqua creatâ intuitivâ expressâ, & in particulari, ut tenet quinta Sententia, & Doctores ibi citati: aut quatenus hæc infinitudo, seu intelligibilitas divina non potest ita perfectè attingi à cognitione aliqua creata, ut per illam possit adæquari non solum extensivè, sed etiam intensivè, idest attingendo omnia quæ sunt in objecto cum omni perfectione possibili in modo cognoscendi, quo postulat cognoscei objectum cognoscibile, ut diximus in hac sexta Sententia.

Colliges secundò, non solum ipsum Deum in se esse Incomprehensibilem ab intellectu creato, aut creabili, sed etiam omnia, & singula ejus Attribute; siquidem eadem pro illis militat rationes, quæ pro Incomprehensibilitate Essentiæ divinæ sunt assignatæ, si cum proportionem applicentur. Ita expressè Albert. in 1. dist. 1. art. 5. & dist. 2. art. 13. D. Bonav. in 3. dist. 14. art. 1. q. 2. ad. 4. P. Gil. tom. 2. tract. 12. cap. ult. n. 2. Cabrer. 3. q. 10. art. 1. d. 2. ad 6. Probatur ex Sacra Pagina de Omnipotentia Job. 11. Forster, ait, vestigia ejus comprehendens, & usque ad perfectum Omnipotentem reperies. De Sapientia Job. 28. ibi: Abscondita est ab oculis omnium viventium, volucres quoque Cæli latet, Deus intelligit viam ejus, ipse novit locum illius. De Divina Pace ad Phil. 4. ibi: Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum. De Æterna Generatione Isai 53. Generationem ejus quis enarrabit: sicque de aliis, quæ loca in hunc sensum à Sanctis Patribus, & Theologis explicari solent; ergo &c.

SECTIO IV.

Quid sit objectum cognosci quantum ex se cognoscibile est?



UONIAM ex hæcenus dictis constat, ad veram comprehensionem exigi, quod objectum cognoscibile cognoscatur quantum ex se cognoscibile est, & Deum non posse sic cognosci; consequenterque neque comprehendi, pro majori tamen utriusque explanatione nonnullæ sunt difficultates à nobis expediendæ. Sit igitur:

Difficultas 1. Utrum si objectum attingatur secundum omnes suas rationes, habitudines & connexiones, cognitione quidem certâ, sed inevidenti, sufficiat ad ejus cognitionem comprehensionem? Negative. Probatur, quia objectum, ut dicatur comprehendi, debet cognosci, quantum ex se cognoscibile est; sed non ita cognoscitur per cognitionem certam, sed inevidentem; siquidem quodlibet objectum est cognoscibile per aliquam potentiam cognitione evidenti, sive ex terminis, sive

sive per medium à priori, vel à posteriori, quæ est major, & perfectior cognoscibilitas; ergo objectum cognitum cognitione certâ inevidenti non cognoscitur, quantum ex se cognoscibile est; consequenterque neque comprehensivè.

77. Confirmatur primò, quia evidens cognoscibilitas radicalis cujusque objecti est quædam habitudo illi intrinseca in ordine ad sui cognitionem; sed quamdiu cognitio est inevidens, non attingitur in objecto talis habitudo; ergo non attingitur objectum quantum ex se cognoscibile est; ac proinde neque comprehensivè. Secundò ab exemplo, quia Sol quamdiu è longinquo videtur, ab oculo non comprehenditur; siquidem cum sit magis visibilis, quatenus è loco propinquiori clariùs videri potest, quamdiu è longinquo videtur, non videtur quantum visibilis est; ergo etiam objectum cognitum quoad omnia obicere, & inevidenter non comprehenditur, quia adhuc potest clariùs & evidentiùs cognosci.

78. Difficultas 2. Utrum objectum, ut censetur cognosci quantum cognoscibile est, debeat cognosci summa claritate, & intentione cognitionis possibili? Negativè. Ita *P. Soar. tomo 1. in 3. p. d. 26. sect. 1. & communiter Theologi*. Probatur, quia objectum tunc censetur cognosci quantum ex se cognoscibile est, quando adæquatè, & secundum exigentiam suæ propriæ naturæ cognoscitur, prout supra diximus; quidquid enim excedit hujusmodi exigentiam per accidens se habet, & materialiter, ut etiam diximus; sed nulla res creata, utpotè finita, & limitatæ perfectionis, habet exigentiam, ut cognoscatur summa claritate, & intentione cognitionis; ergo sine hac claritate, & intentione potest cognosci, quantum ex se cognoscibilis est; consequenterque comprehensivè. Confirmatur, quia alioqui solus Deus posset comprehendere res creatas, utpotè qui solus easdem summa claritate, & intentione cognitionis percipit, hoc autem dici nequit; ergo &c.

79. Dices: Quamdiu objectum summa claritate, & intentione cognitionis non attingitur, adhuc est ulterius cognoscibile; siquidem adhuc à creatura perfectiori, ac perfectiori in infinitum ab ipso Deo, cognosci potest claritate & intentione majori, ac majori; ergo quamdiu summa claritate, & intentione non cognoscitur, non attingitur quantum cognoscibile est; consequenterque non comprehenditur. Respondeo distinguendo antecedens: adhuc est ulterius cognoscibile ab extrinseco, nempe ex parte potentiæ cognoscitivæ perfectioris; concedo antecedens: ab intrinseco, nempe secundum propriam exigentiam; nego antecedens: hoc autem sufficit, ut dicatur cognosci quantum cognoscibile est; ac proinde comprehendi, ut diximus.

80. Difficultas 3. Utrum objectum, ut comprehensivè cognoscatur, necessarium sit ipsum penetrare claritate, & intentione visionis eidem commensuratâ, idest, certâ, & determinatâ, & postulatâ à natura ipsius objecti, quod comprehenditur juxta mensuram entitatis, & intelligibilitatis propriæ? Affirmativè. Ita *P. Albertin. q. 4. Theolog. ex 1. princip. n. 5. P. Arrub. 1. p. d. 23. cap. 4. P. Recupit. lib. 6. q. 40. à n. 10. & alii supra cit.* Probatur primò, quia ad rigorosam cognitionem comprehensivam omnino requiritur, objectum cognosci quantum cognoscibile est, ut patet tum ex dictis, tum ex definitione comprehensionis; sed quamdiu non datur claritas, & intentio cognitionis commensurata objecto cognoscibili secundum ipsius postulantiam, ipsum manet magis cognoscibile ab

intrinseco; ergo non cognoscitur quantum cognoscibile est; consequenterque non comprehenditur; ergo ad sui comprehensionem necessariò requirit prædictam claritatem, & intentionem.

Probatur minor, quæ sola indiget probatione: primò autoritate *D. Thom. 3. q. 9. 10. a. 2. ad 3.* ubi concedit, & si Anima Christi Domini cognoscat omnia quæ Deus videt, adhuc illius visionem futuram inæqualem Visioni Divinæ ratione claritatis. Idem docet *q. 20. de Verit. a. 4. ad 9. & in 3. dist. 27.* ubi priùs docuerat, idè Deum totaliter non videri, quia non videtur ita clarè, ut est visibilis; ergo &c. Secundò ratione, quia qui assentitur propositioni demonstrabili à priori per solum medium à posteriori, aut opinativum, illam non dicitur comprehendere; siquidem illam non attingit intentione, & claritate eidem propriâ, & adæquatâ, qualis est sola, quæ habetur per medium à priori, in ordine ad quod manet adhuc cognoscibilis; ergo quamdiu objectum non cognoscitur claritate, & intentione sibi propriâ, & à se postulatâ, semper manet magis cognoscibile; ac proinde non cognoscitur quantum ex se cognoscibile est, neque dicitur comprehendi.

Probatur secundò, quia de ratione objecti est non solum cognitionem terminare, sed etiam illam effectivè producere, sive per se immediatè, si sit sufficienter intelligibile in actu, sive per species à se, vel à solo Deo productas, sive denique per entitatem alienam, quando ipsum ex vi suæ entitatis non potest habere rationem principii effectivi, quod ex Philosophia suppono probatum; sed non potest illam producere, quantum est ex se, nisi commensuratam suæ propriæ intelligibilitati, saltem seclusis impedimentis, ut patet in productione specierum sensibilium à suis objectis, quæ semper in distantia proportionatâ, illis adæquantur in claritate, & intentione certâ, eisdemque commensuratâ; ergo pari modo se res habebit in productione cognitionum; ergo ut objectum cognoscatur quantum cognoscibile est, consequenterque comprehendatur, necessariò requirit cognitionem in claritate, & intentione sibi commensuratam, & postulatam juxta mensuram suæ propriæ intelligibilitatis.

Oppositum tenent *Ledesma de divin. perfect. q. 8. art. 9. Cabrer. 3. part. quest. 10. art. 1. d. 1. P. Gil. tom. 2. tract. 12. cap. 11. à num. 5. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 4. sect. 6. num. 49. & alii asserentes*, satis esse ad veram comprehensionem, cognosci objectum quoad omnes suas rationes formales, & habitudines necessarias claritate, & intentione sufficienti ad illas distinctè penetrandas, licet hujusmodi claritas, & intentio non commensuretur objecto, illiusque propriæ intelligibilitati: Pro quibus:

Obijcies: Ad rationem comprehensionis sufficit, quod objectum cognoscatur, quantum ex se cognoscibile est, ut ex definitione comprehensionis patet; sed hoc modo cognoscetur, si secundum omnes suas rationes formales, & habitudines cognoscatur distinctè; cognosci enim majori, aut minori claritate, & intentione est quid per accidens, & materiale, ut supra diximus; ergo ad perfectam comprehensionem sufficit hujusmodi cognitio distincta ab illa claritate, & intentione postulatâ. Respondeo negando minorem: objectum enim, ut comprehensivè cognoscatur, postulat ab intrinseco, non solum cognosci distinctè quoad omnes suas rationes formales, & habitudines, ut infra dicemus, sed etiam tali claritate, & intentione, quæ adæquet ipsius intelligibilitatem, ut

supra

supra diximus. Unde licet quæcunque major claritas, & intensio sit per accidens ad comprehensionem objecti, utpotè quæ per accidens est ad omnimodam illius cognoscibilitatem, ut diximus, illa tamen claritas, & intensio quæ commensurari debeat exigentiæ objecti, non per accidens, sed per se requiritur.

85. Difficultas 4. Utrum ad cognitionem comprehensivam objecti necessarium sit attingere connexiones illas, quas habet cum actibus liberis, aut effectibus aliis merè contingentibus? Negativè. Ita *D. Thom. 3. contr. gent. cap. 56. Ferrar. ibid. §. Pro solutione*, & alii, quatenus docent ad comprehensionem sufficere, quod objectum attingatur secundum omnes suas rationes formales, & habitudines, quas vendicat suapte naturâ, quales non sunt connexiones cum actibus liberis, & effectibus contingentibus.

86. Probatur primò à priori, quia comprehensio est cognitio adæquata cognoscibilitati, quam res habet ab intrinseco, & sibi vendicat ex sua entitate, & perfectione connaturali; alioqui ad comprehensionem cujuslibet objecti necessaria esset cognitio eorum, quæ ad illam non pertinent, quæ infinita sunt, & omnino incerta; sed actus liberi, & effectus merè contingentes, saltem determinatè accepti, ad entitatem, & perfectionem connaturalem suæ causæ non pertinent; ergo cognitio talis connexionis, utpotè contingentis, impertinens est ad comprehensionem causæ.

87. Probatur secundò à posteriori, quia Angeli superiores comprehensive cognoscunt inferiores, ut est communissima Theologorum sententia; & tamen illorum actus liberos intellectus, & voluntatis non attingunt, ut est certissimum; ergo ad comprehensionem non requiritur istorum actuum cognitio.

88. Dices: Ad comprehensionem requiritur cognitio omnis connexionis necessariæ, ut diximus, sed omnis causa libera, nempe voluntas, habet necessariam connexionem cum effectibus liberis; siquidem cum sit essentialiter libera, nequit intelligi, sicque neque cognosci sine ordine, seu habitudine ad effectus liberos; ergo ad sui comprehensionem requiritur cognitio prædictæ connexionis. Respondet distinguendo minorem: habet necessariam connexionem cum effectibus liberis in communi, & indeterminatè acceptis; concedo minorem: in individuo, & determinatè sumptis; nego minorem: Unde licet connexio priori modo accepta spectet ad essentiam causæ liberæ, & ut sic illius cognitio necessaria sit ad comprehensionem causæ: posteriori tamen modo accepta, in quo sensu loquimur, est contingens, & habet se merè per accidens ad cognitionem comprehensivam causæ.

SECTIO V.

Utrum cognitio distincta omnium creaturarum in Verbo sit necessario conjuncta cum comprehensione Dei?

89. **S**UPPONO cum communissima Theologorum sententia, nec dari, nec intelligi posse comprehensionem Dei absque cognitione distinctâ omnium creaturarum in Verbo, Patet, quia cognitio Dei com-

prehensiva debet necessariò distinctè attingere omnes ejus perfectiones, tam primarias, quam secundarias, quæ necessariam habent connexionem cum creaturis, consequenterque ipsas connexiones, & habitudines, quas habent ad creaturas; ergo ut Deus distinctè, & comprehensive cognoscatur, necessaria est cognitio distincta creaturarum.

Difficultas solum hæc est: Utrum distincta cognitio creaturarum sit necessariò conjuncta cum comprehensione Dei? An (quod idem est) ex distincta cognitione omnium creaturarum necessariò sequatur Dei comprehensio? Advertes primò, cognitionem distinctam creaturarum haberi posse, aut in Verbo, quando scilicet ex vivificatione Verbi continentis, & repræsentantis creaturas, ipsæ attinguntur: aut in proprio genere, quando scilicet aliundè, sive per revelationem, sive per proprias species acquisitas, vel insulas cognoscantur. Secundò, cognitionem etiam creaturarum in Verbo posse esse definitivam tantum, nempe si attingantur secundum prædicata essentialia: aut comprehensivam, nempe si attingantur quantum ex se cognoscibiles sunt usque ad ultimam differentiam, & secundum omnes suas formalitates, & habitudines. His positis.

Varie sunt Authorum sententiæ: Prima absolute negat ex distinctâ cognitione omnium creaturarum in Verbo sequi comprehensionem ipsius Verbi, sive Dei. Ita *Durand. in 3. dist. 14. q. 2. n. 6. Scot. ibid. q. 2. §. Contrarationem*, & *§. Potest dici. Gabr. q. unica. art. 1. Notab. 2. Mayron. dist. 2. q. 3. P. Vass. 1. p. d. 49. cap. 2. P. Albertin. q. 4. Theolog. ex 1. princip. n. 29. & alii.*

Secunda sententia absolute affirmat ex cognitione distinctâ omnium creaturarum in Verbo sequi comprehensionem Dei. Ita *D. Thom. 1. p. q. 12. art. 8. & 3. p. q. 10. art. 2. & lib. 3. contr. gent. cap. 56. Argentin. in 3. dist. 14. q. unica. art. 3. conclus. 1. Paludan. q. 1. art. 3. Marsil. q. 10. art. 2. 3. p. conclus. 1. Carthus. in 4. dist. 49. q. 4. quæsit. 3. Bannez 1. p. q. 12. art. 8. dub. unico. Zumel. q. unica. Cabrer. 3. p. q. 10. ad 3. conclus. 1. P. Molin. 1. p. q. 12. art. 8. d. 1. conclus. 1. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 26. & 3. p. tom. 1. d. 26. sect. 3. & plures alii.*

Tertia sententia loquitur cum distinctione proximè assignatâ, asseritque, cognitionem creaturarum in Verbo, si sit earum comprehensiva, habere annexam comprehensionem Dei; non ita verò, si solum sit earum definitiva. Ita quoad primam partem *Antonius Andr. in 3. dist. 14. P. Gil. tom. 2. tract. 12. cap. 15. à n. 10. P. Sal. 1. 2. d. 4. sect. 6. n. 99. & 104.* Quoad secundam partem exprimitur ab eisdem Doctoribus, & ab *Scot. in 3. dist. 14. q. 2. §. Potest dici*: & aliis ex Recentioribus, Quid nobis tenendum sit? Jam dicimus: Sit igitur:

Conclusio 1. Ex cognitione distinctâ, & solum definitivâ creaturarum in Verbo non inferitur comprehensio Dei. Ita Doctores supra citati pro prima sententia, & pro tertia quoad secundam partem. Probatur, quia ut detur comprehensio Dei, etiam in ratione causæ creaturarum, debet cognosci in ea ratione, quantum cognoscibilis est, sicque secundum omnes habitudines & connexiones, quas habet cum ipsis creaturis ut effectibus, sed licet omnes creaturæ distinctè, & definitivè cognoscantur in Verbo, adhuc Deus non cognoscitur quantum cognoscibilis est in ratione causæ; siquidem adhuc non cognoscitur secundum omnes habitudines, quas habet, & habere potest cum creaturis; ergo adhuc posita talis cog-

T

cognitione, non rectè infertur ejus comprehensio. Confirmatur, quia posita tali cognitione, non est verum dicere, cognosci omne ens creatum, & creabile, quantum cognoscibile est; siquidem, ut supponimus, non cognosceretur comprehensive; ergo neque verum erit dicere, cognosci Creatorem, quantum cognoscibilis est in ordine ad creaturas; consequenterque neque comprehendi.

95. Dices: Cognitā comprehensive virtute causæ, necessariò comprehenditur ipsa causa; sed si ex vi cognitionis Verbi cognoscantur distinctè omnes creaturæ, comprehendetur virtus ipsius Causæ Increate; siquidem tunc cognoscitur comprehensive virtus causæ, quando cognoscitur omnis habitudo, & connexio, quam habet cum omni effectu; omnes autem creaturæ non possent cognosci distinctè in Verbo, nisi cognoscerentur omnes habitudines, & connexiones, quas habet cum omni creatura possibili, quatenus illius causa efficiens, & exemplaris; ergo ex cognitione distinctā in Verbo sequitur, Deum comprehendi. Respondeo negando minorem, & illius probationem quoad secundam partem; licet enim omnes creaturæ distinctè cognoscantur in Verbo, adhuc non attinguntur secundum omnes omninò differentias, rationes producibiles, & modos producendi; alioqui comprehensive, & non solum definitivè attingerentur, ut supponimus; sicque non cognoscitur adæquatè virtus causæ secundum omnes habitudines, & connexiones, ac proinde neque comprehensive.

96. Conclusio 2. Ex cognitione distinctā, etiam comprehensive omnium creaturarum in Verbo, non infertur præcisè comprehensio Dei. Ita videntur sentire Doctores citati pro prima sententia, quatenus absolute negant ex cognitione distincta omnium creaturarum in Verbo sequi comprehensionem Dei: tenent etiam expressè aliqui Recentiores.

97. Probatur, quia ut aliquod objectum comprehensive cognoscatur, non sufficit cognosci distinctè quoad omnia, quæ continet formaliter, & eminenter, sed ulterius requiritur cognosci tanta claritate, & intensione cognitionis, quantā adæquetur exigentiæ intelligibilitatis ipsius objecti, ut supra diximus; sed licet quis in Verbo cognoscat omnes creaturas posibles, futuras, & existentes comprehensive, ex hoc præcisè non infertur, cognoscere Deum tanta claritate, & intensione cognitionis, quantā Deus postulat cognosci; ergo ex tali cognitione non sequitur præcisè ejus comprehensio.

98. Probatur minor, quæ sola indiget probatione, quia solum potest dari comprehensio, ut supra diximus, quando cognoscitivum, & cognoscibile ita adæquantur, ut sint in eodem ordine abstractionis à materia; siquidem solum tunc cognoscibile potest percipi à cognoscitivo secundum omnem exigentiam suæ intelligibilitatis; sed licet intellectus creatus cognoscat in Verbo omnes creaturas distinctè & comprehensive, adhuc ex hoc præcisè non sequitur manere in eodem ordine abstractionis à materia cum Deo; siquidem adhuc maneret creatura, sicque nequaquam expers potentialitatis, & materiæ, saltem metaphysicæ, Deus autem est actus purissimus; ergo &c.

99. Advertes, me dixisse in conclusione non infertur præcisè comprehensio Dei, quia ex facta suppositione infertur ad summum, cognitionem illam creatam sic attingentem omnes creaturas fore

infinitam in intensione; siquidem quod cognitio plura attingit, eò intensior est; sed attingeret infinita distinctè; ergo infinita esset in intensione. Inferes: Ergo esset comprehensiva Dei. Respondeo negando illationem, nam plures admittunt in Deo potentiam ad producendum infinitum actum; & tamen adhuc negant, posse Deum comprehendi, & quidem meritò; siquidem adhuc ulterius requiritur, quod potentia comprehendens sit actus purus, ut possit esse in eodem ordine abstractionis à materia cum objecto comprehendendo.

Urgebis: Ex communi sententia impossibilis est cognitio creata infinita; siquidem hoc solum est proprium cognitionis Increate; sed cognitio illa attingens omnes creaturas distinctè esset infinita; ergo esset Increate, & actus purus, consequenterque comprehensiva Dei. Respondeo hoc admisso, sequi quidem comprehensionem Dei, sed remotè, non immediatè, & præcisè ex cognitione illā distinctā omnium creaturarum, ut dicimus. Patet, quia ex cognitione distincta unius perfectionis divinæ, aut creaturæ in Verbo, non sequitur illas cognosci tantā claritate & intensione, quantā postulant cognosci; ergo ex cognitione distincta omnium creaturarum non sequitur præcisè omnes perfectiones divinas, & creaturas cognosci tanta claritate, & intensione, quantā postulant cognosci; ergo neque cognosci comprehensive.

Dices: Cognitio illa effectuum argueret cognitionem comprehensivam causæ; quia ipsa causa cognosceretur, quantum cognoscibilis est; sed ex cognitione omnium creaturarum, sive effectuum Dei, quales sunt ipsæ creaturæ in Verbo, arguitur cognosci Deum quā causam, quantum cognoscibilis est; siquidem cum cognitio illa effectuum, sive creaturarum, sit earum comprehensive, nulla habitudo, & connexio Dei causantis lateret cognoscentem; ergo ex tali cognitione infertur Dei comprehensio. Respondeo negando minorem; licet enim, facta illa suppositione, cognoscerentur omnes habitudines, & connexiones Dei cum creaturis, & effectibus, adhuc ex ea præcisè ratione non cognosceretur Deus comprehensive, neque quantum cognoscibilis est; siquidem adhuc non cognosceretur tanta claritate, & intensione, quanta postulat cognosci, quod satis est, nè dicatur comprehendi. Additur, licet tunc nihil lateret cognoscentem ex parte Dei ut causantis, adhuc posse latere alias Dei perfectiones, quas ipse habet sine ulla habitudine ad creaturas, seu effectus causandos, secundum quas potest magis, & magis clarè cognosci.

Conclusio 3. Ex cognitione comprehensive omnium creaturarum in proprio genere non infertur comprehensio Dei. Ita Capreol. in 4. dist. 49. q. ult. art. 3. Ferrar. 3. contr. gent. cap. 56. §. Pro solutione. Caiet. 3. p. q. 10. §. Ubi nota. Cabrer. ibid. art. 1. d. 4. conclus. 2. Bannez. 1. p. q. 12. art. 8. dub. unico ad 2. Zumel. ibid. art. 7. Notabil. 1. P. Mol. 1. p. q. 12. art. 8. d. 2. §. Quartum est, & ad 2. P. Pasq. 1. p. d. 49. cap. 2. §. 1. fine. P. Soar. 3. p. tom. 1. d. 27. sect. 4. §. Contraria sententia. P. Gil. tom. 2. tract. 12. cap. 16. à num. 8. & alii.

Probatur primò, quia illa sola cognitio habet annexam comprehensionem Dei, ex quā infertur, Deum cognosci, quantum ex se cognoscibilis est; sed non ita infertur ex cognitione comprehensive omnium creaturarum in proprio genere; siquidem ex hac solum sequitur, cognosci Deum, quantum est cognoscibilis, abstractivè, & à posteriori, nempe

nempè per suos effectus, seu creaturas; præter hanc autem cognoscibilitatem Deus est ulterius cognoscibilis intuitivè, in se ipso, seu ex propriis terminis, quæ tamen cognoscibilitas non attingitur per eam cognitionem abstractivam creaturarum; ergo ex ea non sequitur, cognosci Deum, quantum ex se cognoscibilis est; consequenterque neque comprehendi.

104. Probatur secundò, quia nulla propositio, quæ habet medium à priori, aut est cognoscibilis ex suis terminis, dicitur comprehendi, quamdiu solum cognoscitur per fidem humanam, opinionem, aut medium solum à posteriori; siquidem prout sic cognoscibilitate sibi propriâ, & adæquatâ non cognoscitur; sed Essentia divina, sive Deus, quamdiu in se ipso non cognoscitur cognoscibilitate sibi propriâ, & adæquatâ, non cognoscitur, quantum cognoscibilis est; neque comprehenditur, quando autem cognoscitur ex cognitione illâ creaturarum in proprio genere non cognoscitur cognoscibilitate sibi propriâ, & adæquatâ, ut diximus; ergo &c.

105. Probatur tertio, quia cognitio comprehensiva creaturarum in Verbo habet annexam perfectionem cognitionem Dei, quam habet earum cognitio comprehensiva in proprio genere; siquidem illa est conjuncta cum cognitione intuitiva Dei, hæc autem cum abstractiva; sed ex illâ comprehensivâ creaturarum in Verbo non infertur comprehensio Dei, ut supra diximus; ergo neque ex hac in proprio genere.

106. Oppositum tenet P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 4. sect. 6. num. 104. & aliqui Recentiores: Pro quibus: Argues 1. Ex cognitione comprehensiva omnium creaturarum in Verbo sequitur comprehensio Dei; ergo etiam ex earum cognitione comprehensiva in proprio genere. Respondeo primò negando antecedens, ut patet ex supra & proximè dictis, ex quo potius confirmatur, quam infirmatur nostra doctrina. Respondeo secundò, dato antecedente, negando consequentiam; diversa ratio est, quia cognitio comprehensivè omnibus creaturis in Verbo, cognoscitur Deus intuitivè, & in se, sicque quantum cognoscibilis est, idèdque; comprehensivè: at verò cognitio in proprio genere, solum cognoscitur Deus abstractivè, & à posteriori; cognitio autem à posteriori & mediata, cum non sit cognitio rei, quantum cognoscibilis est, comprehensiva esse nequit.

107. Argues 2. Cognitis comprehensivè omnibus creaturis in proprio genere, necessariò debent etiam distinctè cognosci omnes partes virtuales, habitudines, & connexiones Potentiæ, Scientiæ, & exemplaris Divini, tam intensivæ, quam extensivæ; siquidem creaturæ ad omnes dictas perfectiones habent distinctos respectus; sed cognitio distinctè omnibus partibus virtualibus, habitudinibus, & connexionibus, tam intensivis, quam extensivis istarum perfectionum, ipsæ perfectiones comprehensivè cognoscuntur; ergo &c. Respondeo negando minorem: nam ad comprehensionem alicujus perfectionis Divinæ, v. g. Omnipotentis, satis non est, quod omnes ejus partes intensivæ, & extensivæ cognoscantur, nisi etiam cognoscantur cognoscibilitate sibi propriâ, conaturali, & adæquatâ, qualiter non perciperetur ex cognitione illa comprehensiva creaturarum in proprio genere, ut patet ex dictis.

108. Argues 3. Cognitio comprehensiva omnium creaturarum in proprio genere haberet claritatem & intensiorem infinitam; siquidem cum percipiat

Tom. 1.

objecta infinita clarè & distinctè, necessariò habebit claritatem, & intensiorem infinitam; nam cum singulæ perfectiones, quas attingit, suas habeant difficultates à potentia superandas, & prædictæ perfectiones, & illarum partes sint infinitæ, infinita egebunt claritate, & intensiorem cognitionis, ut attingantur; sed cum infinita claritate, & intensiorem cognitionis annexa est divina comprehensio, ut infra dicemus; ergo &c.

Respondeo data majori, negando minorem; neque enim quælibet infinita claritas, & intensiorem cognitionis est comprehensiva objecti, quod attingit, sed illa tantum, quæ illud attingit adæquatè, & quantum ex se cognoscibile est. Patet, quia licet cognitio per medium opinativum, aut à posteriori in infinitum crescat in claritate, & intensiorem, nunquam comprehensivè attinget objectum, quod est cognoscibile ex suis terminis, aut per medium à priori, quia ipsum non penetrabit, quantum ex se cognoscibile est, & cognoscibilitate sibi propriâ; ergo etiam licet cognitio creaturarum in proprio genere foret infinita in claritate, & intensiorem, nunquam foret comprehensiva Dei, quia semper respectu illius foret cognitio à posteriori, & non juxta cognoscibilitatem propriam ipsius Dei.

SECTIO VI.

An, & qualis infinitas Visionis necessaria esset, & sufficeret ad comprehensionem Dei?

110. **D**IFFICULTAS I. Utrum Visio comprehensiva Dei, si daretur, necessariò foret in se infinita? Affirmativè. Ita D. Thom. 1. part. q. 12. art. 7. P. Suar. in Met. d. 30. sect. 12. P. Vasq. 3. part. tomo 1. d. 46. P. Arrub. 1. part. d. 23. cap. 4. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 4. sect. 6. P. Mol. P. Valent. & alii. Est communissima Sanctor. Patr. & Theologor. sententia. Probatur primò, quia tum Patres, tum Scholastici ex Infinitate Dei, & finitate creaturæ probant Incomprehensibilitatem divinam; ergo ad comprehensionem entis infiniti, qualis est Deus, videntur exigere cognitionem infinitam.

111. Probatur secundò, quia comprehensio in esse cognito habet adæquationem cum objecto in esse cognoscibili; sed hujusmodi adæquatio dari nequit inter cognitionem finitam, & objectum infinitum, ut tale cognitum; ergo &c. Probatur tertio, quia quod plures perfectiones expresse, & distinctè penetrantur, eò visio est perfectior; siquidem in illis penetrandis plures superat difficultates, quarum quælibet in ipsâ cognitione novam arguit perfectionem; ergo si in objecto perfectiones distinctè, seu discretè cognitæ fuerint infinitæ, imò infinites infinitæ, infinita necessariò erit earum cognitio comprehensiva.

112. Difficultas 2. Utrum hæc visionis infinitas entitativa foret, & non solum objectiva? Affirmativè. Probatur primò, quia cognitio, quæ Deum attingeret comprehensivè, foret simpliciter infinita, ut patet ex proximè dictis; sed infinitas objectiva solum est infinitas secundum quid; reperitur enim in qualibet cognitione finitâ ad Deum terminatâ, quatenus respicit objectum infinitum; ergo &c.

113. Probatur secundò, quia cognitio, quæ accrescit ex eo, quod plura objecta, seu plures partes distinguit

T 2

distinguit in objecto; non augetur solum geometricè, sive secundum partes incertas, sed arithmetice, & secundum partes certas, ut ex probabiliori sententia suppono; ergo illa, quæ infinitas partes distinctè, & per modum plurium attingit, qualis esset illa, quæ Deum comprehenderet, infinita esset, non secundum quid, & objectivè, sed simpliciter, & entitativè.

114. Difficultas 3. Qualisnam foret hujusmodi infinitas entitativa visionis, quæ Deum comprehensive attingeret? Advertes triplicem considerari posse infinitatem entitativam, quarum qualibet potest in quæstione venire. Prima est infinitas extensiva, consistitque in eo, quod cognitio extendatur ad plures, & plures partes, sicque infinitas in objecto attingendas. Secunda est infinitas intensiva, consistitque in eo, quod cognitio habeat infinitos gradus certos, & determinatos intensivis. Utraque hæc infinitas est accidentalis; siquidem cognitioni est per accidens, & accidentale attingere plures, aut pauciores partes: habere plures, aut pauciores gradus intensivis. Tertia est essentialis, sive in essentia ipsius visionis, quam variat, ita ut si poneretur in Visione Beata, eam faceret specie diversam ab aliis visionibus, quæ de facto dantur. Difficultas igitur est, quænam ex his infinitatibus necessaria sit, & sufficiat ad comprehensionem Dei, si hæc admittatur? Sit ergo:

115. Dubium 1. Utrum ad comprehensionem Dei sufficeret infinitas extensiva? Negativè. Ita *P. Soar. tomo 1. in 3. p. d. 26. sect. 3.* quatenus hujusmodi infinitatem extensivam Visionis Beatæ impossibilem credit. Probatur primò cum aliquibus Recentioribus: quia in Visione Dei nulla potest dari extensio entitativa; ergo à fortiori neque entitativa infinite extensa; ergo cum hæc sit impossibilis, neque requiritur, neque sufficit ad comprehensionem Dei.

116. Probatur antecedens, quod solum eget probatione, quia nullum datur principium, à quo desumi possit prædicta extensio visionis; neque enim potest desumi à subjecto, ut patet; neque ab objecto primario, quod indivisibile est; neque à secundario; siquidem hoc sub eadem ratione indivisibili attingitur, quæ est Essentia; neque ab ipsa Visione; siquidem illius partes neque indivisibiles, neque divisibiles esse possunt; non apparet à quo, vel quo principio inter se uniantur ad unam aliquam entitatem integrandam; ergo &c. Hæc tamen probatio, cum solum probet, si probat, impossibilem esse extensionem aliquam in visione, parum videtur probare conclusionem, in qua supposita possibilitate Visionis infinitæ in extensione, quæritur: an hæc sufficeret ad comprehensionem Dei? Unde melius:

117. Probatur secundò, quia cognitio infinite extensiva solum inserviret ad attingendas omnes partes virtuales divinarum Attributorum; consequenterque quidquid est in Deo formaliter & eminenter; sed hoc non sufficit ad comprehensionem Dei; siquidem, ut supra diximus, Beatus attingens in Verbo omnes creaturas posibles haberet visionem infinite extensivam, utpotè attingens infinita possibilia, & infinitas perfectiones Dei habentes connexionem cum infinitis possibilibus, & tamen Deum non comprehenderet, utpotè quem adhuc non cognosceret, quantum ex se cognoscibilis est; ergo &c.

118. Oppositum tenent *P. Gil. tomo 2. tract. 9. cap. 2. & tract. 10. cap. 4. P. Sal. 1. 2. tr. 2. d. 4. sect. 3. n. 29. & sect. 4. 5. & 6. P. Albertin. q. 4. Theolog.*

ex 1. princip. num. 20. quatenus de facto in Visionibus Beatorum admittunt majorem aut minorem extensionem, quam si crederent infinitam, cum alioqui ponant comprehensionem objecti in cognitione attingente distinctè omnia quæ sunt in objecto, procul dubio illam judicarent sufficientem ad comprehensionem Dei: pro quibus:

Oppones: Major extensio visionis sufficit, ut in Deo distinctè videantur plures illius perfectiones, tam primariæ, quam secundariæ; consequenterque plures creaturæ in eis contentæ; ergo infinita visionis extensio sufficit ad omnia, quæ sunt in Deo, distinctè percipienda; sed cognitio distinctè omnibus quæ sunt in Deo, manifestè sequitur ejus comprehensionem; ergo ad comprehensionem Dei sufficit infinitas extensiva visionis.

Respondeo negando minorem, ut enim detur comprehensio objecti, debet hoc cognosci, quantum ex se cognoscibile est, sicque juxta exigentiam suæ propriæ cognoscibilitatis; licet igitur per visionem extensivè infinitam attingeretur distinctè quidquid est in Deo, cum adhuc non attingeretur tanta expressione, & claritate, quantâ postulat cognosci, adhuc non comprehenderetur.

Dubium 2. Utrum ad comprehensionem Dei sufficeret infinitas Visionis intensiva, qualis haberetur per infinitos gradus certos & determinatos visionis intensivæ? Negativè. Ita *Durand. in 4. dist. 49. quæst. 4. num. 8. Mayron. in 1. dist. 2. q. 4. art. 1. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 26. num. 20. & tom. 1. in 3. part. d. 26. sect. 3. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 4. sect. 5. num. 74. P. Albertin. q. 5. & 6. Theolog. ex 1. princip. & alii Recentiores*, quatenus absolute docent, majorem intensivam visionis nihil conducere ad plura videnda in objecto, sed ad eadem videnda, licet intensiori claritate; ergo si major intensio non sufficit ad videnda in Deo plura; neque infinita sufficit ad illius comprehensionem. Adhuc tamen ex illis.

Probatur primò, quia intensio de se solum dicit majorem perfectionem formæ in subjecto, servatâ eadem perfectione individuali, & habitudine ad objectum; ergo licet in infinitum augeatur, nunquam visionem augebit quoad representationem plurium ex parte objecti; consequenterque ad illius comprehensionem non sufficit.

Probatur secundò, quia Deus cognoscit plures, imò infinitos gradus intensivis visionis, qui efficiendo diversas tantum numero visiones, terminari possent ad idem numero objectum, eodemque potest unire in unam, eandemque visionem ejusdem objecti secundum easdem illius omnino rationes cognitæ; sed hoc posito, objectum eodem modo, & secundum easdem perfectiones penetrabitur, secundum quas antea cognoscebatur, licet intensiori visione, & non secundum plures; ergo licet Visio Dei in infinitum augeatur, non idè videbit in Deo plura; consequenterque ad illius comprehensionem non sufficit.

Probatur tertio, quia voluntas potest intellectum applicare, & aliquando de facto applicat ad apprehendendum idem objectum intensius, quin rationes aliquas de novo apprehendat: Similiter idem objectum visibile prius distinctè cognitum, accedente novo, & intensiori lumine, intensius, & clariùs videtur, quin in eodem novit plures partes apparent; ergo sola intensio visionis, etsi infinita non conducit ad plures perfectiones

Etiones videndas in objecto; consequenterque neque ad comprehensionem Dei.

125. Probatur quartò, & efficacius ex nostris principiis, quia ad comprehensionem Dei requiritur cognitio, quæ adæquetur exigentiæ cognoscibilitatis illius, ut ex definitione comprehensionis, & ex supra dictis constat; sed visio, licet infinitè intensiva, non adæquaretur cognoscibilitati divinæ; siquidem hæc, sicut est objecti, quod est in se actus purissimus, ita postulat cognitionem, quæ talis sit, ac proinde diversæ speciei ab ea, quæ de facto datur; infinitas autem intensiva visionis, cum sit ei accidentaliter, non variat ejus speciem; ergo hæc non adæquaretur divinæ cognoscibilitati; consequenterque non sufficeret ad comprehensionem Dei.

126. Oppositum tenent Richard. in 3. dist. 14. art. 1. q. 4. Lycher. ibid. q. 1. ad finem. supplem. Gabr. in 4. dist. 49. q. 3. art. 2. conclus. 4. Palat. conclus. 2. Sor. quest. 3. art. 1. conclus. 1. Ferrar. 3. contr. gent. cap. 56. §. Pro solutione. P. Mol. 1. p. q. 12. art. 8. d. 2. ad 1. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 4. sect. 6. n. 99. & 100. P. Gil. tom. 2. tract. 9. cap. 13. & alii: pro quibus:

127. Obijcies 1. Non magis requiritur ad comprehensionem Dei ex parte luminis concurrentis ad visionem comprehensivam, quam ex parte ipsius visionis comprehendentis; sed lumen gloriæ infinitè intensum, si daretur sufficeret ad producendam visionem comprehensivam Dei, ut docent communiter Theologi; ergo etiam sic sufficeret infinitas intensiva visionis. Respondeo data majori, & minori, negando consequentiam; diversa ratio est, quia lumen sufficiens ad comprehendendum Deum deberet esse proportionatum visioni illius comprehensivæ: Unde sicut hæc, si foret comprehensiva, mutaret speciem, ita etiam illam mutaret lumen, quod tali comprehensioni inserviret: at verò intensio, cum major, aut minor sit accidentaliter, etiam si sit infinita, non faciet neque visionem, neque lumen diversæ speciei, ut diximus; sicque non sufficeret ad comprehensionem Dei.

128. Obijcies 2. Quò magis intenditur visio objecti corporalis, in quo sunt partes de novo distinguibiles, eò plures partes de novo internoscuntur, ut experientia constat, & docet P. Vasq. 1. p. d. 47. cap. 6. fine; ergo etiam quò magis intensiva fuerit Visio Beata, eò plures perfectiones in Deo attinget; sed hæc sunt in infinitum distinguibiles; ergo si visio in intensione infinitè accrescat, omnia quæ sunt in Deo distinctè cognosceret; consequenterque dabitur perfecta, & absoluta comprehensio Dei. Respondeo dato in totum argumento, negando consequentiam quoad ultimam partem, nam, ut sæpe diximus, ad hoc ut Deus totus, & totaliter cognoscatur, sicque comprehensive, debet juxta exigentiam suæ propriæ cognoscibilitatis cognosci, ut autem prout sic cognoscatur, non satis est, cognosci secundum omnes perfectiones quas continet, sed ulterius requiritur, quod cognoscatur tantà distinctione, & claritate, quantà postulat cognosci; hæc autem dari nequit in visione solius infinitatis intensivæ, ut patet ex dictis.

129. Instabis: Pro ratione majoris intensiois speciei visibilis, aut lucis corporalis, cognoscuntur plures partes in objecto visibili; constat enim, quò magis ad objectum visibile accedimus, eò nos plures in eodem partes distinguere, quas tamen ex majori distantia solum confusè, & per modum unius attingebamus; ergo pro ratione majoris intensiois augeri poterit cognitio beatifica quoad rationes objecti cognitivi in infinitum, ita ut evade-

re possit comprehensiva Dei. Respondeo negando consequentiam quoad ultimam partem, ut patet ex proximè dictis.

Dubium 3. Utrum data infinitate intensivâ Visionis Beata, & quod hæc sufficeret ad comprehensionem Dei, necessariò hæc sequatur ad illius positionem? Dico 1. In facta suppositione de lege ordinaria semper cum infinitate intensivâ Visionis Beata conjuncta esset Dei comprehensio. Ita videntur sentire Doctores proximè citati n. 126. Probatur primò eisdem rationibus, quibus ipsi probare intendebant suam sententiam.

Probatur secundò, quia Visio Increata quoad perfectionem objectivam correspondet propriæ perfectioni intensivæ, seu veluti intensivæ virtuali; utraque enim est infinita, sicque comprehensiva; ergo etiam nostra creata, si sit infinitè intensiva, quoad rationes in objecto cognitivas propriæ intentioni correspondebit, saltem de potentia ordinaria, sicque utraque erit infinita, & comprehensiva.

Probatur tertio, quia magis Beatis infunditur à Deo de lege ordinaria majus, seu intensius lumen proportionatum majori gratiæ, in qua decedunt; sed magis Beati plures vident creaturas in Deo, ut omnes fatentur; ergo cum intensius lumen intensiorem visionem producat, cum intensiori visione de lege ordinaria stat plurimum Visio in Deo; ergo cum visione infinitè intensiva stabit necessariò de lege ordinaria infinitorum visio, sicque comprehensiva ipsius Dei.

Dico 2. In facta suppositione de potentia absoluta stare posset Visio Dei infinitè intensiva, quin esset illius comprehensiva. Videtur de mente Doctorum, quos supra citavimus num. 121. & specialiter indicatur à P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 4. sect. 6. num. 99. quatenus asserit ad comprehensionem Dei non satis esse claritatem visionis infinitam, nisi sit summa, & omnibus modis infinita. Probatur primò eisdem rationibus, quibus supra citato loco nostram probavimus sententiam.

Probatur secundò, quia cognitio, nulla facta mutatione in terminatione ad objectum, potest de potentia Dei absoluta in infinitum intendi; siquidem eadem conclusio demonstrabilis; idem principium notum ex terminis; & eadem cognitio definitiva alicujus objecti, potest à Deo intendi in infinitum, quin ratione talis intensiois nova ratio menti appareat; ergo de potentia Dei absoluta potest Visio Beata habere infinitatem intensivam, quin plura in Deo attingat, sitque illius comprehensiva.

Probatur tertio, quia ex comprehensione solius Omnipotentia divinæ, vel cujuscunque alterius Attributi, potest Visio Beata infinitam habere intensioem; siquidem cum quodlibet Attributum sit omnibus modis infinitum, infinita eget intensione, & claritate, ut comprehendatur; sed cognitio, etiam comprehensiva unius Attributi, saltem de potentia absoluta, stare potest sine comprehensione totius divinitatis; sicut in creatis stare potest comprehensio unius proprietatis sine comprehensione totius naturæ creatæ; ergo &c.

Probatur quartò, quia ad cognoscendam quamlibet infinitatem determinatam creaturarum, nempe Angelorum in Verbo, requiritur infinita intensio, & claritas visionis, ut patet ex dictis; sed cognitâ unâ aliquâ infinitate in aliquo certo genere, non statim videntur omnes aliæ infinitates, seu creaturæ in aliis generibus; ergo data infinitate intensivâ visionis absolutâ Dei, non statim neces-

sariū sequitur illius comprehensio.

137. Dubium 4. Utrum ad comprehensionem Dei, si daretur, necessaria foret infinitas essentialis in visione, ita ut hæc necessariū foret alterius speciei ab illis, quæ de facto dantur? Sententiam affirmativam sequuntur *Ledesm. de Divin. perfect. quest. 2. art. 8. ad 7. Cabrer. 3. p. q. 10. art. 1. d. 1. conclus. 4. & ad 5. & d. 2. ad 3. P. Albertin. q. 4. Theolog. ex 1. princip. an. 14. colligiturq; ex P. Soar. tom. 1. in 3. part. d. 26. sect. 3. §. Sed nihilominus, & §. Ex his ergo.*

138. Probatur primò, quia ad comprehensionem Dei, si daretur, non sufficeret infinitas visionis intensiva, neque extensiva, ut patet ex supra dictis; sed alia non superest præter essentialē, ut constat; ergo hæc necessaria foret. Secundò, quia visio illa suapte naturā attingeret Deum, quantum ex se cognoscibilis est; atqui, non ratione intensificationis, aut extensionis, sed solius suæ entitatis in ordine ad proprium objectum, quod nulli alteri cognitioni creatæ, aut creabili competeret; ergo necessariū foret infinita quoad essentialē, & ab aliis diversa in specie; consequenterque hæc necessaria foret, & sufficeret ad comprehensionem Dei.

139. Negativam sententiam defendunt *D. Thom. 3. contr. gent. cap. 55. & 1. p. q. 12. art. 7. Caiet. ibid. Carthusian. in 4. dist. 49. q. 4. quest. 2. Abul. in cap. 5. Matt. q. 42. Zumel. 1. p. q. 12. art. 7. Pesant. ibid. P. Mol. ibid. art. 7. §. In hac ergo, & alii. Probatur primò, quia ad Visionem Dei comprehensionem satis est visio accidentaliter infinita, nempe quoad infinitatem intensivam; ergo necessaria non esset infinitas essentialis.*

140. Probatur secundò, quia si daretur lumen infinitè intensum, id satis foret ad producendam effectivè Visionem Dei comprehensionem, ut docent Authores cit. sed lumen infinitè intensum solum ad summum produceret visionem in intensione, non verò in essentia infinitam; ergo hæc necessaria non foret, sed illa sufficeret ad comprehensionem Dei; consequenterque non esset alterius speciei ab aliis visionibus, quæ de facto dantur: quod adhuc ulterius:

141. Probatur tertio, quia maior, vel minor intensio, aut extensio in quantitativis, vel qualitativis naturalibus, etiam si in infinitum augeatur, non causat distinctionem specificam, ut ex Philosophia suppono; ergo neque illam causabit intensio illa infinita, quæ dabitur in visione comprehensiva Dei.

142. Probatur quarto, quia huiusmodi Visio in eo distingueretur ab aliis, quæ de facto dantur, quod per illam attingerentur per modum plurium & distinctè omnes omnino perfectiones, & habitudines divinæ, quæ tamen per visiones de facto solum attinguntur confusè, & per modum unius, ut patet ex supra dictis; sed quod per unam visionem plures perfectiones Dei, vel creaturæ distinguantur, quam per aliam, dummodò omnes simul, & per modum unius cognitionem terminant, non sufficit ad distinguendas visiones in specie, ut patet ex supra dictis, cum de distinctione specifica visionum egerimus; ergo &c.

143. Utraque sententia est probabilis, neutra tamen, ut proponitur mihi placet: Prima, ut probabilior, cum addito tenenda, nempe, infinitatem essentialē visionis requiri quidem ad comprehensionem Dei; & sufficere, si supponamus per eam constitui visionem ipsam in eodem genere abstractionis à materia cum objecto cognoscibili, nempe cum Deo, ita ut maneat actus purissimus in ratione cognoscitivæ, sicut talis est Deus in ratione cogniti.

144. Prima pars patet ex dictis, & fundamentis adductis pro prima sententia affirmativa: Secunda pars, quod solum sufficiat in facta suppositione, manifesta est ex iis, quæ supra diximus, quando de ratione fundamentali, & radice Divinæ Incomprehensibilitatis latè egimus: Et hæc de Divina Incomprehensibilitate, totaque Materia Visionis Beatificæ in maiorem Dei gloriam, & Beatissimæ Virginis Mariæ laudem dicta sufficiant, faciat ille, & postulet hæc, ut in hoc sæculo, in quo per speculum, & in ænigmate ipsum videmus, ita curramus, ut in altero facie ad faciem cum Angelis comprehendamus.

